EXAMEN
DISSERTATIONIS D. NICOLAI VEDELII
DE
Epiſcopatu Conſtantini Magni,

SEV

De Poteſtate Magiſtratuum Reformatorum circa res Eccleſiaſticas.

AVCTORE

IACOBO REVIO, S. S. Theolog. Doctore & Collegii Theol. Illuſtr. & Præpott. Ordd. Hollandiæ & West-Friſiæ Præfecto.

AMSTELODAMI,
Apud JOHANNEM JANSONIUM.

ANNO CIƆ IƆ C XLII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ampliſſimis, Nobiliſſimis, Conſultiſſimis Viris,

D. D. PRÆTORI, CONSULIBUS, SCABINIS, SYNDICO,

Florentiſſimæ Civitatis Lugduno-Batavæ, Dominis ac fautoribus ſuis eximiis.

Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi Domini,

PUblicavit ante quadriennium D. Nicolaus Vedelius Diſputationem de Magiſtratu, titulo quidem tenus adverſus librum Bellarmini de Laïcis, ſed re ipſa adverſus univerſum eccleſiarum noſtrarum ordinem. Ea cum veritatis ac pacis amantibus, quibus merito diſplicuerat, ſilentio tandem ſopita ſperaretur, tanto poſt tempore denuo erumpit, non ſolum perſonâ detractâ, ut Paſtores eccleſiæ reformatæ peti omnes videant, ſed

& armata prologo galeato, quo eos qui ab ipſo hac in parte diſſentiunt (quales ſunt omnes pii & rerum eccleſiaſticarum intelligentes) horrendis conviciis proſcindit: nefariæ eos doctrinæ pontificiæ, rerum novarum, rebellionis, læſæ majeſtatis, ſpolii, &c. reos agit: & quaſi in eorum cervices Magnatum gladios acuere ſatagat, rem non ſolum religionis, ſed & reipublicæ agi vociferatur, meliorem & nobiliorem partem poteſtatis ipſis eripi, qua erepta etiam altera periclitetur, ex rebelli hac doctrina (ira loquitur) graviſſimas ſeditiones, tumultus, bella civilia, furorem ad arma præcipitem, cædes, &c. oriri. Ejus defenſores impudentes, ſtolidos, turbulentos, male feriatos, Sinones (& quid non?) eſſe, tonat & fulminat: atrocitatem neſcio cujus moliminis eis impingit. Nec contentus eccleſias Belgicas hiſce clamoribus repleviſſe, in Angliam & Scotiam ſua tela tranſmittit. Ubi,

quæ

Digitized by Google

quæ contigerunt & quotidie contingunt, huic doctrinæ fert accepta: ita ut eorum motuum qui regna illa ab aliquot jam annis exercent, non in pontificios perduelles, non in pſeudepiſcopos Romani Antichriſti aſſentatores, ſed in eos qui animam ſuam in manu ſua poſuerunt, ut eandem quam nos profitemur religionem, ac idem eccleſiarum regimen illibatum retinere poſſent, omnis culpa à Vedelio conferatur. Denique, quaſi ipſius de hoc argumento doctrina extra omne errandi periculum, & ſupra omnem judicii aleam eſſet poſita, nequis eam vel oppugnare vel ſuſpectam facere audeat, pro imperio edicit. Hæc profecto talia ſunt, ut ineluctabilem eccleſiis neceſſitatem imponant, libellâ verbi divini, quid in iis verum, quid falſum, quid ſuum, quid alienum ſit, expendendi, deque eo pro collata ſibi à Chriſto poteſtate, & mature ſtatuendi, & intrepide pronunciandi: omnibus autem

intemeratæ doctrinæ & ἐυταξίας amantibus, ea, pro modulo donorum ſibi divinitus collatorum, in medium afferendi, per quæ ſiſti hoc malum, & eccleſiæ non ſolum honori, verum etiam ſaluti conſuli in tam juſta cauſa poſſit. Ad quem ſcopum collimat hoc noſtrum opuſculum, quo doctrinæ quæ tam crudeliter flagellatur certam ac divinā veritatem, contrariæ autem multiplices errores, ſuccincte quidem, ea tamen evidentia edocere conati ſumus, ut ſpes ſit, eos qui fortaſſe ſequiorem ſuſpicionem de Ordine & regimine eccleſiarum noſtrarum conceperunt, honeſtius deinceps & humanius de eo judicaturos eſſe.

Vos autem, Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Conſultiſſimi Viri, ei patronos elegimus. quidni? qui ſanæ doctrinæ, & quietis eccleſiæ vos patronos hactenus ea fide, animorum ardore, ac conſtantia geſſiſtis, ut vicinis exemplo, inimicis terrori, ec-

eccleſiis

cleſiis præſertim, & incorruptis earum miniſtris ſummæ venerationi merito ſitis. Cujus rei luculentum teſtimonium perhibent viri Reverendi & clariſſimi, tum qui Eccleſiæ veſtræ, tum qui præterea etiam Academiæ ſumma cum laude clavum tenent: quos omnium optime noſtis (neque externo ad id indicio opus eſt) & pro veſtræ gubernationis felicitate Deum O. M. quotidianis votis compellare, & populo ſuo, ut debitam vobis obedientiam alacriter præſtet inculcare, & exemplo modeſtiæ, ac inviolatæ erga Magiſtratum ſuum fidei gnaviter præire: neque tales eſſe quales depingit adverſarii penicillus.

Accedit à me altera ratio. nam qui ſummam VV. Nobiliſſ. Amplitt. expertus ſum benevolentiam, quem tanto ſtudio ad eam quam nunc apud vos ſuſtineo functionem invitaſtis, ac in ea verſantem continuato indies favore ſublevaſtis ſane ut, ſi non di-

gno redhoſtimento (quod mearum virium non eſſe lubens agnoſco) at qualicunque tamen grati animi teſtificatione vices VV. NN. AA. redderem, res ipſa ſuo jure flagitabat. Id vero debitum ut hac quam videtis συζητήσει oblata agnoſcerem ſaltem, ſi non exolverem, licet occaſione ac neceſſitate magis quam animi propoſito acciderit, non tamen citra Dei (cujus cauſa agitur) providentiam eveniſſe facile eſt animadvertere. Eam porro ut non paucitate pagellarum, ſed argumenti præſtantia ac utilitate æſtimetis, ab inſigni veſtra æquitate me impetraturum confido. illam enim partem doctrinæ enucleat, qua ſalvâ, eccleſia & religio per Dei gratiam in tuto eſt, everſâ autem & proculcatâ interitum ſuum declinare, aut etiam in longum protrahere non poteſt. quem ut avertat Clementiſſ. Deus calidis omnium piorum votis ſollicitandus eſt. quem & veneror precorque.

Digitized by Google

DEDICATIO.

Ampliſſ. Nobiliſſ. Conſultiſſ. Viri, ut ſub veſtra felici tutela Eccleſiam & Rempublicam florentiſſimas contineat, voſque omnibus corporis animique bonis cumulet. Dabam Lugduni-Batavorum anno Christi cIↃ IↃ c xlii.

VV. NN. AA. obſequentiſſ. ſubditus,

JACOBUS REVIUS,
S. S. Theol. Doctor. & Colleg. Theolog. Præfectus.

Bene-

Benevole Lector.

ANtequam ad examen Diſſertationis Vedelianæ nos accingamus, neceſſario aliquid monendum eſt de judiciis Clariſſimorum virorum, Riveti & Maccovii, quibus veſtibulum Diſputationis ſuæ Vedelius prætexuit. Et Riveti quidem, ut de eo primum dicam, tanti apud me ponderis eſt auctoritas, ut conſenſum ejus quovis pretio, diſpendio veritatis tantum excepto, lubens redimerem. Oſtendi in hoc opuſculo, ſententiam ipſius ab opinione Vedelii paſſim divertere; nec factum muto: licet impræſentiarum aliter judicare videri poſſit: quod tamen non poſſum animum inducere ut credam, ſed potius, percurſis obiter Vedelii pagellis, quibus ſolum Bellarminum impugnare videri volebat, hanc qualemcunque approbationem efflagitanti eum conceſſiſſe. Certe Vedelium valde tunc temporis feſtinaſſe ſcimus. ac totum illud drama (ſi nobis per eum deinceps quieſcere non liceat) Deo dante, literis mandabimus. Intereſt enim

eccle-

eccleſiæ, principia & cauſas motuum quæ in ipſa ſubinde oriuntur, perſpectas habere; ut eo melius ac certius aduerſus eos ſibi proſpicere queat. Maccovium (ut & de illo reſpondeam) velim meminiſſe, Extare ipſius theſes de hac quæſtione, A quibuſnam miniſtri eligi debeant? *ſcriptas ab ipſo & defenſas Anno 1624. ubi non tantum negat jus vocandi ad ſolum Magiſtratum Chriſtianum pertinere theſ. 3. omneſque objectiones in contrarium ſolvit, ſed etiam ſtatuit, Magiſtratui Chriſtiano non eſſe concedendas partes, cum presbyterio vocandi miniſtros. hæc enim ſunt ipſius verba theſ. 9.* Huc uſque Beza, cui nos per omnia adſtipulamur excepto quod Magiſtratui Chriſtiano cum presbyterio videatur vocandi miniſtros partes concedere: quod utique nobis non videtur, idque, quod vocatio ad eccleſiam pertineat, non ad Magiſtratum. *Idem Maccovius Diſp. 6. colleg. Theol. Miſcell. quæſt. de hac quæſtione: quodnam ſit regimen eccleſiæ in his terris? ait theſ. 1.*

Omnis

Omnis poteſtas eccleſiaſtica in eccleſia tota eſt, poteſtatis vero diſpenſatio penes rectores, quos Chriſtus ordinavit. *& theſ.* 12. Antequam vero oſtendamus, quod hanc poteſtatis eccleſiaſticæ diſpenſationem & exercitium rectores ab eccleſia habeant, primum diſquiremus, quinam ſint hi rectores? ergo hi non ſunt principes ſeculares: quod probamus, &c. *& theſ.* 16. *ſolvit argumenta duo de cuſtodia legis Magiſtratui demandata. hæc ex alio viri cujuſdam præſtantiſſimi tractatu adverſus judicium quoddam Maccovii in cauſa provocationis excerpſimus. Porro Maccovium non arbitramur ita imprudentem eſſe, ut exiſtimet, ſimulac ipſe ſententiam mutat, etiam eccleſias ordinem ſuum ac regimen mutaturas eſſe. His expenſis, Deo duce propoſitum nobis ſtadium decurramus.*

EXA-

Digitized by Google

EXAMEN
Diſputationis D. NICOLAI VEDELII,

De Epiſcopatu Conſtantini Magni,

Seu de poteſtate MAGISTRATUUM Reformatorum circa res Eccleſiaſticas.

Ad Prolegomena.

POſtquam D. Vedelius egit de natura Eccleſiæ & Conciliis, & Anatomen propoſuit librorum quatuor Bellarmini, hac diſputatione incipit agere de membris Eccleſiæ militantis, ac ſpeciatim de Magiſtratu. Et hiſce prolegomenis primo rationem ordinis à ſe obſervati reddit, mox generalia quædam ad ſequentes quæſtiones præmittit. Ordo Vedelii eſt contrarius ordini Bellarmini: is enim primo de Clericis, poſtea de Laïcis, nominatim de Magiſtratu agit: at Vedel. hoc ordine Magiſtratum deprimi, eumque ordinem eſſe contra verbum Dei affirmat, ideo-

Digitized by Google

ideoque primo de Magiſtratu agendum putat. Quum autem Vedel. ſe doctrinam verbi Dei & Eccleſiarum Reformatarum proponere & hoc capite & paſſim dicat, nos primo, an hic ordo cum ordine ſcripturæ & Eccleſiarum Reformatarum congruat videamus, mox etiam rationes ejus ex verbo Dei, vel etiam aliunde petitas conſideraturi. Quod ad prius attinet, dicimus Vedelium in ipſo limine impingere, & ordinem introducere, ordini ſacræ ſcripturæ, & omnium Eccleſiarum Euangelicarum ac Reformatarum contrarium. de ſacra ſcriptura, ſic colligo: In quarto decalogi præcepto agitur de verbi miniſterio, in quinto de obſequio Magiſtratui debito: illa ergo doctrina hac prior eſt: illa ad primam tabulam pertinet, hæc ad ſecundam: illa ad PRIMVM illud & MAGNVM mandatum de dilectione Dei, hæc ad ſubſequens, priori quidem ſimile, ſed tamen diſpar, de dilectione proximi. Ordinem decalogi ſequuntur omnes Eccleſiæ Euangelicæ & Reformatæ, quæ ubique præmittunt doctrinam de Miniſtris Eccleſiæ, doctrinæ de Magiſtratu. Liquet hoc ex earum Confeſſionibus. nam Helvetica Confeſſio prior de Miniſtris Eccleſiæ agit art. 18. de Magiſtratu art. 30. id eſt, omnium ultimo. Helvetica poſterior agit de Miniſtris art. 15. de Ma-

giſtratu art.26. qui penultimus eſt. Confeſſio Baſileenſis, licet ipſius Magiſtratus (ut art. 6. videre eſt) nomine edita, tamen de omnibus Eccleſiæ membris agit art. 5. de Magiſtratu poſtea art. 6. Confeſſio Gallica de Miniſtris agit art. 25. de Magiſtratu art. 39. & 40. qui ſunt omnium poſtremi. Confeſſio Anglicana agit de Miniſtris art. 18. de Magiſtratu art.24. Confeſſio noſtra Belgica agit de Miniſtris, art. 30. de Magiſtratu art. 36. qui penultimus eſt. Confeſſio Polonica agit de Miniſtris art. 48. 50. de Magiſtratu nuſquam. Argentinenſis de Miniſtris art. 13. de Magiſtratu art. 23. id eſt, omnium ultimo. Auguſtana de Eccleſiaſtico ordine art.14. de Magiſtratu art.16. Saxonica de Miniſtris art. 12. de Magiſtratu art. 23. qui omnium poſtremus eſt. Bohemica de Miniſtris art.9. de Magiſtratu art. 16. Polonica altera, ſive potius Conſenſus Sendomirienſis de Miniſtris agit paſſim, de Magiſtratu nuſquam. Summa eſt, nullam confeſſionem Euangelicam, vel Reformatam ordinem Vedelianum ſequi, ſed contrarium omnes in quibus utriuſque muneris fit mentio. Idem ſervatur in Liturgiis, ſive precibus, qua publicis, qua privatis, publica auctoritate editis. In calce Catecheſeos Heidelbergenſis precatione matutina: Corrobora quotquot "

,, *Eccleſiæ* ac *populi* tui ſunt *antiſtites*. In
,, precatione Scholaſticâ: Collige & con-
,, ſerva tibi *Eccleſiam*: tuere *Politias* quæ
,, ſunt Eccleſiæ hoſpitia. Conſerva ſcho-
,, las quæ *Eccleſiæ* & *Reipublicæ* ſeminaria.
,, Excita & adjuva fideles & ſanctos *Do-*
,, *ctores* & *gubernatores*. Et cum luce *do-*
,, *ctrinarum* pacem quoque & honeſtam
,, diſciplinã in *Eccleſiis* & *Rebuſpublicis* tue-
,, re. In precatione, antequam ad opus ac-
,, cedatur: Mitte fideles animarum *pa-*
,, *ſtores*, & per verbum eorum ſit efficax
,, Spiritus Sanctus in cordibus auditorum,
,, ut magna tibi Eccleſia colligatur, &c.
,, *Magiſtratum* divino tuo robore ſic ar-
,, ma, ut *Eccleſiam* & *Politias* defendat.
,, Precatione publica poſt communionem
,, die Dominica: Rogamus porro, Do-
,, mine, verbi tui *prædicatione*, Spirituſque
,, tui efficacia magis ac magis nos ad ima-
,, ginem tuam renoves, &c. Ad hæc, quia
,, *Magiſtratuum miniſtrorum tuorum* ma-
,, nu in hac vita nos regere vis, rogamus,
,, qui corda eorum manu tua tenes, *Impe-*
,, *ratoriæ & regiæ majeſtati, cæteriſque om-*
,, *nibus principibus, imprimis autem cle-*
,, *mentiſſimo hujus regionis noſtræ Domino,*
,, *Domino Frederico Palatino Electori, ve-*
,, *nerandiſſimæque ipſius conjugi, illuſtriſ-*
,, *ſimis ejus liberis, conſiliariis, officialibus:*
,, *item, reverendo hujus civitatis Senatui*
,, gratiam & concordiam largire, &c. Alia

pre-

Digitized by Google

precatione poſt concionem: Ad hæc, populi tui *Paſtores* & *Rectores* robora, ut & illi fideliter conſtanterque verbum tuum prædicent, & hi vindicem gladium cum juſtitia & æquitate adminiſtrent. Alia precatione poſt concionem: Quia nos pro *Eccleſia* tua, pro civili *Magiſtratu*, atque adeo pro omnibus in genere hominibus precari juſſiſti; omnes tibi Eccleſias commendamus, rogamuſque ut fidos *ad meſſem tuam operarios* mittas, ſanctique *Euangelii* progreſſus ſecundes, & contra extirpes quotquot falſi Doctores, &c. ſunt. Oramus te inſuper pro omnibus *mundi rectoribus, pro Rom. Imperatore ac rege: pro cæteris item regibus & principibus, ſpeciatim pro clementiſſimo hujus regionis noſtræ Domino,* &c. ut ſupra. Idem ordo eſt in precibus Anglicis, juſſu regis Iacobi editis, ac Bibliorum codici adjectis. v. precationem cui titulus: *A prayer for the whole eſtate of Chriſts church.* Ibi: *Furthermore, for aſmuch, &c.* & *Moreover becauſe the hearts,* &c. Ubi primo pro *paſtoribus*, mox pro *rege*, *ejus conſiliariis ac Magiſtratibus* omnibus oratur. In Confeſſione Chriſtianæ fidei ei ſubjecta, quæ incipit: *Y beleeve and confeſſe,* idem eſt ordo. Ut & in Liturgia noſtra Belgica, precatione poſt concionem utrâque, & precatione matutina. Quamvis autem

Digitized by Google

in precibus Gallicis diverſus ſit ordo, non tamen is quem cæteræ Liturgiæ & confeſſiones omnes ſequuntur eo condemnatur. Alioquin Eccleſia Gallica propriam confeſſionem, in qua idem fit, condemnaret, neque hæc ad contemptum Magiſtratus fiunt, ſed ſecundum verbum Dei, Matth. 6. 33. quod ſpiritualia temporalibus anteponenda, & primo à Deo petenda eſſe docet. Adjiceremus, univerſalem hanc eſſe methodum eorum qui in Eccleſia Reformata Inſtitutiones ac locos communes ſcripſerunt. Ut Calvini, Muſculi, Melanchthonis, Martyris, Bucani, Alſtedii, Profeſſorum Leydenſium in Synopſi, &c. ſed copia teſtium facit ut vela contrahamus. Itaque non recte fecit Vedelius, qui contrarium ordinem eo nomine ſibi ſequendum propoſuit, quod (ut ait, nec tamen probat, nos autem contrarium demonſtravimus) hic ſit Contra Verbum Dei. Quibus verbis, ſub titulo Bellarmini, totam Reformatam Eccleſiam condemnavit.

Progrediamur nunc ad rationem qua Vedelius hunc ſuum ordinem conatur „ aſtruere. Ea eſt: quia Magiſtratus ſit „ præcipuum membrum Eccleſiæ. Quod quia ponit, non autem demonſtrat, paucis hæc ci expendenda damus: Magiſtratus eſt præcipuum membrum Eccleſiæ, vel

vel qua Magiſtratus, vel qua fidelis: non qua fidelis, quia fides eſt ἰσότιμος, id eſt æque precioſa, 2. Pet. 1. 1. nec eo reſpectu in Chriſto eſt aut ſervus aut liber, &c. Col. 3. 11. Gal. 3. 27. ac proinde *nec rex nec privatus*, ut præclare annotat Chryſoſtomus in Rom. 1. 6. Non qua Magiſtratus, nam eatenus eſt extra Eccleſiam, fatente ipſo Vedelio, ut videbitur ad Quæſt. 3. Sunt qui comminiſcuntur tertium ex hiſce duobus conflatum, nempe *munus Magiſtratus per fidem ſanctificatum*, quibus nihil aliud nunc reſpondeo, quam quod ait Cl. Voetius de poteſt. Eccl. Diſp. 2. theſ. 2. Gratia fidei, "
ſi accedat ad poteſtatem Magiſtratus in- "
fidelis, nec ponit, nec tollit, nec intrin- "
ſece & eſſentialiter mutat naturam re- "
rum, aut jura naturalia. Habent enim "
ad ſe invicem mere per accidens: quia "
unum non eſt de ratione alterius, nec ad "
eam pertinet. Unum addam: officium aliquod in perſona fideli ſanctificari nihil aliud eſt, quam fidelem eo bona conſcientia uti poſſe. Ita enim *Omnia munda mundis: pollutis autem & incredulis nihil eſt mundum, ſed polluta eſt eorum & mens & conſcientia.* Tit. 1. 15. ita *Maritus infidelis* (id eſt, uſus matrimonialis: viri infidelis) *ſanctificatus eſt in uxore* (fideli.) 1. Cor. 7. 14. quæ tamen, ſi inde ſibi majorem quandam poteſtatem imaginaretur,

ginaretur, magnas nugas ageret. Sed videtur mihi hac in parte rem acu tetigiſſe idem quem modo laudavi D. Voe-
„ tius diſp. ead. theſi 1. §. 6. πρῶτον ψεῦ-
„ δος (inquit) facit puerilis illa fallacia ac-
„ cidentis, & paralogiſmus à diviſis ad
„ conjuncta: Magiſtratus eſt primus, &
„ eſt Chriſtianus, ergo eſt primus Chriſti-
„ anus, & PRIMARIVM ECCLESIÆ
„ MEMBRVM quod tantundem valet ac
„ illud: Hic eſt bonus, & eſt poëta, ergo
„ eſt bonus poëta. item: Hic eſt præſtan-
„ tiſſimus (in ſuo genere ſc. aut, pictor, aut
„ miles, aut doctor, &c.) & eſt membrum
„ Eccleſiæ; ergo eſt præſtantiſſimum mem-
„ brum Eccleſiæ. Rurſum; Hic eſt primus
„ & principalis, in burſâ, in Academia, in
„ familia, aut in collegio quocunque; &
„ eſt membrum, ergo. Denique, dives &
„ honoratus civis eſt primarius in civitate,
„ ergo qua talis etiam primarius in Eccle-
„ ſia. Vide Jac. 2. 1. 2. 3. 6. coll. cum 1. Co-
„ rinth. 6. 4. 5. Magiſtratus qua Magiſtra-
„ tus (attende Vedeli) NON EST PRI-
„ MARIVM MEMBRVM ECCLESIÆ;
„ ſed, ſi primario qualitatibus ſpirituali-
„ bus, cognitionis, fidei, pietatis, zeli, &c.
„ exornatus ſit. Vide qui ſint primarii
„ Phil. 3. 15. Heb. 5. 12. 13. 14. Gal. 2. 9. coll.
cum 1. Cor. 3. 1. 2. hactenus clariſſ. ille Theologiæ Doctor, & fideliſſimus Eccleſiæ Paſtor. Videntur tamen hæc no-
ſtra

ſtra labefactari, eo quod Vedelius Ma- “
giſtratus laïcos eſſe negat, qua voce eos “
contumelioſe & contra uſum ſcripturæ “
à Bellarmino deſignatos eſſe ait. Nos “
(licet à contumeliis Bellarmini adverſus
Magiſtratus toto pectore abhorremus)
tamen in voce illa contumeliam inveni-
re non poſſumus. Per Laïcos enim in-
telligit Bellarm. eos; *quibus nulla pars functionis Eccleſiaſtica demandata eſt*. Lib. 1. de Membr. Eccl. Milit. c. 1. neque ab ea voce abhorruit Whitakerus de
Concil. quæſt. 3. c. 1. Adverſarii, inquit, “
totam Eccleſiam, atque adeo omnes “
Chriſtianos in duo hominum genera. “
dividunt, alios enim vocant clericos, a- “
lios laïcos: & clericorum duo genera ſta- “
tuunt, alii enim prælati ſive præſules “
ſunt, alii non. ſic etiam Laïcorum alios “
eſſe principes, alios privatos. Et nos i- “
ſtam diſtinctionem non plane rejicimus “
aut improbamus. Hæc ille. Mitto a- “
lios qui contra Bellarm. ſcripſerunt, nec de hac voce ei controverſiam moverunt. Quod ſi aliam commodiorem habeat Vedel. qua hoc membrum in diviſione Eccleſiæ militantis exprimat (nam vocem κοσμικῶν, qua Chryſoſtomus utitur in Heb. 11. p. 559. ei magis probatum iri vix puto) libenter amplectemur, modo res ipſa ſalva ſit, id eſt, modo diſtincti maneant ii quibus functio Eccleſiaſtica

demandata eſt, ab iis quibus non eſt demandata, quocunque tandem vel hi vel illi nomine vocentur.

At Vedelius ſcripturam ſacram expreſſe Magiſtratum à Laïcis diſtinguere ait, qui בני - העם 2. Chron. 35. 5. 7. vocentur. Reſpondemus, nos ibi expreſsè invenire filios populi, non autem vox *Laïcorum* ibi *expreſſa* eſt. ne apud græcum quidem interpretem. nec in re hæc æquivalent. Illic enim, cum filii populi à rege & principibus diſtinguantur, apparet per illos intelligi privatos: quæ ratio in diſtinctione Laïcorum à clericis
,, ſive Eccleſiaſticis non invenitur, nam
,, ipſe Bellarm. Laïcorum, inquit, alii ſunt
Principes, alii privati, quo ſup. Verum
hæc res paulo altius repetenda eſt. In-
,, ter Iudæos fuere ſacerdotes & pontifi-
,, ces, & Levitæ, quorum munus ac mini-
,, ſterium (utar verbis Cl. Salmaſii de E-
,, piſc. & preſb. p. 380.) certæ familiæ ad-
,, nexum, non tranſibat in aliam tribum.
,, Reliquarum tribuum homines (nota)
,, *Laïci* audiebant, & privati, & eo nomine
,, diſtinguebantur à ſacerdotibus, qui ex
,, Aaronis ſtirpe deſcendebant. Ex illis
,, *Laïcis* ſumebantur πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ,
,, qui & presbyteri Iudæorum dicebantur
,, Magiſtri & Doctores, qui in Synagoga
,, cum illis presbyteris vel ſenioribus po-
,, puli conſidebant, Etiam eligebantur

non

non ex Aaronis & filiorum ejus ordine ac familia. Hæc Salmaſius, in quibus vox *privatorum* benigne interpretanda. Nam non omnes privatos fuiſſe res ipſa loquitur. Cæterum Laïcorum appellationem ex ſcriptura & quidem Novi Teſtamenti non obſcure deducit, quæ meminit πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ. Matth. 21. 23. 26. 3. 47. 27. 1. ut & è Clementis Epiſtola ad Corinthios (quam ſolam ex ejus operibus veram & germanam eſſe docte judicat p. 231.) ita ergo Pater ille omnium antiquiſſimus: τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουργίαι δεδομέναι εἰσὶ, καὶ τοῖς ἱερεῦσι ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ Λευίταις ἴδιαι διακονίαι ἐπίκεινται. ὁ Λαϊκὸς ἄνθρωπος (nota) τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασι δέδεται. id eſt: Summo enim Pontifici ſua munia aſſignata ſunt: ſacerdotibus locus proprius attributus: & Levitis ſua incumbunt miniſteria: Laicvs homo Laicis muneribus allegatus eſt. Adderem huic ſcriptorem fere σύγχρονον Ignatium, niſi omnes ejus epiſtolæ multis de cauſis merito ſuſpectæ eſſent: quod vero eam quæ eſt ad Smyrnenſis ſe purgare poſſe putavit Vedel. eximendo ex ea clauſulam illam quæ Laïcos nominat, in eo operam luſiſſe non immerito videtur Cl. Lud. Molinæo Apol. pro Epiſt. ad Verid. p. 77. Quæ quidem, (inquit, poſtquam illam periodum retuliſ-

" ſet) videntur Vedelio in textum irrepſiſſe
" fraude: affirmat enim, Laïci vocem non
" eſſe ætatis Ignatianæ, ſed ſeculi ſequen-
" tis: utcunque tamen ea utatur Clemens
" Ep. ad Cor. p. 53. v. ſequentia. Ne pſeudo-Ignatio immoremur, audiamus & alios: Aquila Ponticus, (teſte Theodoreto quæſt. 52.) vertens Achimelechi verba 1. Sam. 21. 4. quibus negat ſibi eſſe panem חול *profanum*, pro eo quod LXX. verterunt βέβηλοι ἄρτοι maluit vertere ἄρτους λαϊκούς. In quo eum ſecuta eſt vulgata: Non habeo Laïcos panes ad manum. Et eruditam Aquilæ verſionem hic eſſe pronunciat Heinſ. Exerc. Sacr. p. 46. Soli videlicet panes facierum erant ad manum, quos negat ipſe Chriſtus licuiſſe Davidi comedere. Matth. 12. 4. jam quæro, quare Davidi ἄρτοι tantummodo λαϊκοὶ, id eſt, λαϊκῆς χρήσεως, erant conceſſi, niſi quia ipſis erat λαϊκὸς, id eſt, λαϊκῆς τάξεως; & nota, Davidem hic, & eos qui cum ipſo erant, tàm apud Abimelechum, quam apud Chriſtum, eodem jure eſſe: cum tamen David eſſet ductor copiarum, regis gener, in regem jam ipſe unctus: quem proinde inter בני־העם, id eſt, homines merè privatos & plebeios abjicere injurium foret. Utitur & hoc vocabulo Tertullianus Lib. de Baptiſmo, & in conciliis græcis ſæpe mentio occurrit τοῦ λαϊκοῦ τάγ-

τάγματος. vide Salm. p. 384. 392. quod
vero & Magîſtratus eo contineatur te-
ſtatur idem p. 396. Inde, inquit, & ex “
Laïcis eligebantur, qui ſtatim ad pres- “
byteratum & epiſcopatum promoveren- “
tur. Sic Ambroſius in Eccleſia Medio- “
lanenſi epiſcopus factus eſt, Nectarius in “
Conſtantinopolitana, alius, cujus no- “
men non ſuccurrit, in Syriaca, QVI DI- “
GNITATES GEREBANT CIVILES. Non “
me fugit, eundem ſummum virum arbi-
trari, non fuiſſe in uſu vocem laïcorum
circa primordia Eccleſiæ, quia videlicet
neque ſacerdotes tum fuerint inter Chri-
ſtianos, à quibus laïci diſtinguerentur.
Verum, ne quid diſſimulem, imbecillior
mihi viſa eſt illa ratio; cum non ſacerdo-
tibus proprie, ſed *clericis* opponantur
laïci, quæ vox ex actis Apoſtolorum de-
rivata eſt, ubi κληροῦται τὴν ἀποστολὴν Ματ-
θίας ἀντὶ τοῦ προδότου Ἰούδα. Hinc & apud
Clementem κλῆρον ἕνα τινὰ κληρώσων.
Salm. p. 227. quod ſi tunc fuit inter Chri-
ſtianos κλῆρος, fuit & λαὸς, ſi κληρικοὶ,
utique & λαϊκοὶ, aut alia vox exhibenda
qua nominati fuerint οἱ μὴ κληρούμενοι.
Verum quocunque tandem tempore
cœperit hæc appellatio (Salmaſius circa
medium ſecundi ſeculi ortam arbitratur)
apparet nec contumelioſam fuiſſe, ne-
que ad fæcem plebis reſtrictam. Λαὸς
certe (unde λαϊκὸς) apud bonos auctores
ipſum

ipſum etiam *ſenatum* comprehendit, ut nos docet maximus Heinſius Exerc. ſacr. p. 336. *Plebs* enim, inquit, (ut Iuriſconſulti) eo differt *à populo*, quo ſpecies à genere, quamvis pars potius, ut recte iidem, plebs, quam ſpecies: prout τὸν δῆμον, καὶ τὸν χυδαῖον δῆμον, græcorum interpres, cum de lege, & plebiſcito, & Senatuſconſulto agitur, diſtinguunt: qui & tum *populum* κοινῆς τύχης σύνοδον, κατὰ ταυτὸ συναριθμουμένων τοῖς ἰδιώταις καὶ τῶν συγκλητικῶν, *communis fortunæ conventum, ita ut in unum eundemque numerum cum plebe referatur & SENATVS*, definire ſolent. Quod ſi vox λαοῦ, quæ honoratior eſt, tantopere Vedelio ſordet, quid fiet Calvino, qui Eccleſiam totam in clericos & *plebem* dividit? Inſtit. l. 4. c. 12. quid Polano, qui eandem diſtributionem habet Syntagm. Lib. 7. c. 10? & cap. 12. ait: *Plebs* Eccleſiæ, ſunt præter Eccleſiæ miniſtros ALIA OMNIA ECCLESIÆ MEMBRA. Quæ uſitate nominantur, *Auditores verbi Dei*, item *idiotæ* 1. Cor. 14. 16. *grex* 1. Pet. 5. 3. item *ſedentes*. Vulgò *Laïci*. Et poſtquam eorum officium recenſuit, Hoc, inquit, officium præſtare tenentur non ſolum privati homines, ſeu Magiſtratibus ſubditi: ſed etiam, & quidem imprimis Magiſtratus ipſi, ſi modò ſint Chriſtiani. Hactenus Polanus, Unum addam, & deſinam:

ſinam: refert Lud. Molinæus, Epiſtola ſub Irenæi Philadelphi nomine ad Renatum Veridæum (is eſt Cl. Andreas Rivetus) ſcriptæ p. 75. in Anglia, ubi tamen primatus, regius defenditur, non modo cancellarios eſſe laïcos, ſed ipſum Serenissimvm Regem Carolvm Laïcis Accenseri.

Ad rem ipſam acceſſurus, primo adverſarios nonnullos qui in hoc argumento peccarunt deſignat, mox quædam ad ſuam ſententiam pertinentia exponit. Adverſarios notàt duorum generum: priores, qui in defectu circa poteſtatem hanc Magiſtratus errarint, poſteriores, qui in exceſſu. In defectu erraſſe dicit Donatum, Socinianos, Anabaptiſtas, Pontificios. Hoc ipſi largimur. In exceſſu peccaſſe ait Arminianos, & ſpeciatim Utenbogardum. Et hoc damus. Sed ipſum ab errore eorum non immunem eſſe demonſtrabimus, Ad ſuæ ſententiæ intellectum hæc verba ponit: "Obſervetur autem in anteceſſum, quæcunque à "nobis & aliis Theologis Reformatis hic "dicuntur, accipienda eſſe de Magiſtratu "ſummo & Orthodoxo, qui adeoque ipſe "membrum Eccleſiæ ſit; quo deficiente, "Eccleſia ſola ſub Chriſto ſecundum ver- "bum ejus proſpicere debet conſervatio- "ni veræ religionis & ordinis exterioris à "Chriſto inſtituti. In his verbis multa "

pec-

peccantur. Primo, falſum eſt, quæcunque hic à Vedelio dicuntur, de Magiſtratu, *ſummo* dici, nam ſubalternos etiam, ſeu inferiores Magiſtratus in partem hujus negotii admittit, Quæſt. 4. quæ manifeſta contradictio eſt. Secundo, abſurda eſſet illa ſententia. Ita enim penè omnes Magiſtratus Urbani & vicani à cura Eccleſiarum etiam objectiva excluderentur, ſi ea ad *ſolos* Magiſtratus ſummos pertineret. 3. Si de ſolis *Orthodoxis* (ut inquit) agit, ſequitur nullam Eccleſiæ curam pertinere ad Magiſtratus diverſæ religionis, ideoque male facere regem Galliæ, qui Eccleſiam Reformatam tueatur, male feciſſe noſtrates, qui eam tutelam à rege Hiſpaniarum ſupplicibus libellis petierint, &c. 4. Si de ſolis *Eccleſiæ membris* (quod & ipſum adjicit) agit, cum in hiſce regionibus multi Magiſtratus ſint qui nondum membra ſunt Eccleſiæ, ſequitur eos Eccleſiam curare non debere. Quibus admiſſis, nudatur Eccleſia militans magna parte ſuorum defenſorum, & hoſtibus ſuis in prædam exponitur. Denique, vel ſolum exemplum Conſtantini (à cujus epiſcopatu Diſputationem ſuam inſcripſit Vedelius) ſufficit ei refellendo. Is enim cum ſe epiſcopum nominaret, Eccleſiæ membrum non erat, quia ne baptizatus quidem erat, Ut apparet conferenti Euſeb,

ſeb. de vita Conſt. l. 4. c. 24. cum c. 61. & ſeqq. Tam infeliciter jacto fundamento, videamus ut ædificium quæſtionum ſuarum ſuperſtruxerit.

QUÆSTIO PRIMA.

An Magiſtratus nullam poteſtatem habeat in rebus Eccleſiaſticis, quam ut ſit defenſor Eccleſiæ, & executor ſententiæ illius?

VEdelii theſis iſta eſt: Quemadmodum certiſſimum eſt, & extra omnem controverſiam poſitum, Magiſtratum eſſe defenſorem Eccleſiæ, & propugnatorem ordinis divinitus inſtituti, adeoque poteſtatis quam Deus dedit Eccleſiæ ſuæ, ita falſiſſimum eſt, eum tantum defenſorem eſſe Eccleſiæ, & exequutorem ſententiæ illius.

Ut hæc theſis intelligatur, videndum quid in ea concedat Vedelius, quid autem neget. Concedit Magiſtratum eſſe defenſorem Eccleſiæ, &c. exequutorem quoque ſententiæ illius eſſe fatebitur quæſt. 5. ſed negat eum hæc eſſe *tantum.* Hoc enim ait eſſe *falſiſſimum.*

Nos vero, licet, quæcunque Magiſtra-

tui circa Eccleſiam & res Eccleſiaſticas competunt, non incommode ad iſta capita dextere intellecta, imo ad unicum defenſoris titulum, quo ille alter continetur, revocari poſſe putemus, tamen, ne vis fiat in verbis, ſiquid aliud Vedelius attulerit veritati conſonum, quod non ſatis clare eis contineri arbitretur, id, quo minus perſpicuitatis gratiâ adjiciatur, non pugnabimus. Quod autem à veritate diſcrepat rejiciemus. Videamus quomodo Vedelius theſin ſuam probet.

„ Primo ait, eam eſſe doctinam totius „ Eccleſiæ Reformatæ. Ubi obſerva, 1. Nullum verbum ex S. Scriptura adferri à Vedelio, quo dogma ſuum ſtabiliat. Id quod ſententiam hanc valde ſuſpectam reddit. 2. Probationem hanc nihil facere contra Bellarminum, qui tanti facturus eſſet probationem ab Eccleſiæ Reformatæ auctoritate ſumtam, quanti nos facimus argumenta ab ipſo allata ex auctoritate Concilii Tridentini. Et tamen totum hoc caput in illo argumento conſumitur, Bellarmini refutatio ne attingitur quidem, ſed tribus verbis ad alios remittitur. Quo agendi modo quum paſſim utatur, facile apparet eum contra alios quam contra Bellarminum agere. Videamus nunc quomodo probet hanc eſſe doctrinam totius Eccleſiæ Reformatæ.

Do-

Docere hoc conatur è quatuor confeſſionibus, & aliquot Eccleſiæ Reformatæ doctoribus. Verum 1. nec quatuor nationes quarum illæ confeſſiones ſunt, nec doctores quos illis adjicit totam Eccleſiam Reformatam conſtituunt. quo fit, ut quod intendit, ſi maxime ipſi faverent, per eos non aſſequatur. 2. Nec confeſſiones illæ, nec illi doctores dicunt id quod Vedelius dicit. videamus ordine ſingula.

1. Vide, inquit, de propoſitione illa "Confeſſionem Eccleſiarum Gallicarum "art. 39. 40. Dico & ego, vide articulos illos, & propoſitionem Vedelianam ibi nullam reperies, nec quicquã quod eam ſtatuminet.

2. Citat confeſſionem Anglicam art. 37. Reſp. Ne hic quidem quicquam eſt pro Vedelio. Ita enim Angli ſuam ſententiam ibi explicant: Cum Regiæ ma- "jeſtati ſummam gubernationem tribui- "mus damus Regibus noſtris eam TANTUM prærogativam, quam in ſacris "ſcrîpturis à Deo ipſo omnibus piis prin- "cipibus videmus ſemper fuiſſe attribu- "tam: hoc eſt, ut omnes ſtatus atque or- "dinss fidei ſuæ commiſſos, ſive illi eccle- "ſiaſtici ſint, ſive civiles, in officio conti- "neant, & contumaces ac delinquentes "gladio civili coërceant, Hæc illi. Quæ "planè probamus. Sed contra Vedelium

ſunt,

ſunt, qui non hæc TANTVM Magiſtratui tribuit, ſed, *formaliter* eligere miniſtros & multa alia, ut videbimus.

3. Belgicam, art. 36. Reſp. hic dicitur: Magiſtratuum eſſe, non modo de civili politia conſervanda eſſe ſollicitos, verum etiam, dare operam ut ſacrum miniſterium conſervetur, omnis idololatria, & adulterinus Dei cultus e medio tollatur, regnum Antichriſti diruatur, Chriſti vero regnum propagetur. Denique, horum eſſe, efficere, ut ſancti Euangelij verbum undique prædicetur, ut ſinguli pure Deum colere & venerari ex præſcripto verbi ipſius libere poſſint. Hæc ibi. quæ omnia pertinent ad defenſionem eccleſiæ & curam objectivam. nihil autem ad ea quæ Vedel. inſuper Magiſtratui tribuit.

4. Bohemicam a. 16. Quem nos totum articulum recipimus, maxime cum addatur: Quod attinet ad eas res quæ animarum fidei & ſalutis ſunt TANTVM verbo Dei ejuſque *miniſtris* audiendum (forte, obediendum) eſſe, ut Chriſtus ipſe ait: Reddite que ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Nihil hic eſt pro Vedelij opinionibus.

1. Poſtquam Confeſſionum teſtimoniis Vedelius deſtitutus eſt, videamus an à Doctoribus melius munitus ſit. Et multos quidem nominat, nullius tamen,

præ-

Digitized by Google

præterquam unius Zanchii. verba affert. quod indicium eſt, neminem hanc propoſitionem Vedelii melius quam illum expreſſiſſe videri. at minime eam exprimit. Negat enim Zanchius, Magiſtraſtratus *tantum* eſſe *exequutores* eorum quæ ab epiſcopis ſtatuuntur. at non negat, eos *tantum* eſſe *defenſores eccleſiæ*, & *exequutores* ſententiæ *illius*. non contradicit eis, inquam, qui hæc duo conjungunt, imo ne iis quidem qui hoc primum duntaxat ponunt, ſed iis qui hoc ultimum *tantum* iis attribuunt. Ut taceam, ne in ultimo quidem hoc veram eſſe oppoſitionem: Aliud enim eſt, eſſe exequutorem ſententiæ *illius*, videlicet *eccleſiæ*, aliud, eorum quæ ab epiſcopis definiuntur. Nam ſoli *epiſcopi* non conſtituunt Eccleſiam. Itaque ſententia quam Vedel. improbat tota conſiſtere poteſt cum doctrina Zanchij.

2. Sequitur Calv. Inſtit. l. 4. c. 11. §. 16. At is eo loco totam auctoritatem quam in Eccleſiaſticis tribuit Magiſtratui, vocibus *conſervandi, ſtabiliendi, ſuſtinendi* complectitur. Quæ nihil aliud ſonant, quam Magiſtratum eſſe *defenſorem* Eccleſiæ.

3. Bullingerus de Epiſcoporum inſtitut. cap. 3. cujus verba excutientur ad quæſt. 6. & 13.

4. Martyr in 1. Sam. 8. de quo agetur ad

ad quæſt. 4. & 6. tantum hoc moneo, quum tam ſollicite hunc commentarium commendet Vedel. Ex Simleri teſtimonio, qui dicat, nihil eum continere quod non Orthoxum ſit (quod cum ſanâ religione pugnet, inquit Simlerus) obſervandum tamen, ejus commentarij
" tantum ſex priora capita ab auctore eſſe
" recognita, reliqua ab amicis excepta,
" quæ auctor, ſi vixiſſet, emendaturus e-
" rat. Ut idem Simlerus eo ipſo loco ait. Teſtimonium ergo ex hoc capite petitum non niſi precario ſub nomine Martyris produci poteſt. Reliqui auctores, quorum hic nomenclatura & catalogus eſt, fere omnes citantur in quæſtionibus ſequentibus, itaque ibi diſtinctius eorum verba conſiderabuntur. Quos nuſquam in ſequentibus produxit, eorum verba ſaltem hic ab eo afferri neceſſe erat: neque enim noſtrum eſt ariolari quid Vedel. ſibi velit, aut e quibus auctorum verbis argumentum petat, quando ipſe ſe non explicat. Hæc tamen neceſſario monenda: 1. Ipſum citare Martyrem Append. loc. Comm. quæſt. *Regi, Principi, Magiſtratui, liceatne de religione ſtatuere?* Quæ tamen quæſtio in tota illa Appendice, mihi diligenter quærenti non occurrit. 2. Citare eum Iuellum Apolog. & Antapolog. c. 9. uſque ad 15. quæ citatio aliquoties recurrit, non ad-

jecta

jecta Antapologiæ parte in qua hæc capita reperiantur, ſex enim ejus partes ſunt, & in ſingulis hic capitum numerus reperitur, ſed in ultima demum, ea quæ Vedel. pro ſe citat. Qui modus agendi, arguit, vel ipſum Iuellum a Vedelio non inſpectum, vel perquam negligenter lectum eſſe, vel denique (quod non arbitror) eum de induſtria hoc feciſſe, ut nobis quærendi laborem duplicaret. 3. Citare eum Piſcatorem in Aphoriſmo de Magiſtratu, cum Piſcator in doctrina de vocatione miniſtrorum totus ſit in partibus Utenbogardianis, ut patet Aphoriſmo 19. ubi jus illud Magiſtratui Chriſtiano, non ex parte, ſed in totum tranſcribit. Itaque cauſam ſuam prodit Vedel. dum hunc auctorem inter ſuos nominat. 4. Citare eum Alſtedium in Append. ad Chamieri Pauſtratiam, cum tamen is Alſted. l. 4. c. 14. de membris Eccleſiæ militantis, prorſus contrarium doceat, ab eo quod hic ponit Vedel. Verba ejus ſunt t. 1. Officium Magiſtratus circa ſacra, verſatur in *cognitione & defenſione* religionis. t. 7. Ad *defenſionem* religionis refert promotionem ac reſtaurationem, & adducit Ieſuitam Becanum in eam ſententiam, imo ait, in hac parte *conſenſum* eſſe inter nos & adverſarios (Ieſuitas videlicet.) Quod ad extremum Vedel. ait, “
In

In ſumma, hæc eſt doctrina omnium
„ Theologorum reformatorum, qui ante
„ & poſt Synodum Dordracenam de hac
„ materiâ ſcripſerunt, id profecto eſt μέγα
„ λίαν αἴτημα. Nam Vedel. omnes illos
Theologos nec legit, nec legere potuit, qui nec omnes linguas quibus hæc pertractata ſunt intelligit, nec omnia quidem (ut arbitror) quæ in hiſce provinciis de hac re ſcriptis agitata fuerunt, cum hæc primum ſcriberet, vel fando nominari audiverat.

Veniamus tandem ad duas proba-
„ tiones Vedelij. earum prima eſt: Quia
„ qui Magiſtratibus aliud nihil tribuunt,
„ quam ut ſine ulla poteſtate alia in rebus
„ Eccleſiaſticis, tantum ſint defenſores &
„ exequutores Eccleſiæ, faciunt ex iis man-
„ cipia, imo lictores & carnifices Epiſ-
„ coporum, ſeu Miniſtrorum Eccleſiæ.
Reſp. In hoc argumento bilis abunde, rationis autem ne leviſſima quidem umbra apparet. Quæro enim, ex qua parte hujus ſententiæ mancipia, carnifices, & lictores educat? an ex eo, quod Magiſtratus dicantur *defenſores* Eccleſiæ? at ipſe eos defenſores eſſe faſſus es. & quis unquam audivit, idem defenſorem eſſe cum mancipio, lictore, & carnifice? hoc contumelioſum foret in regem Magnæ Britanniæ, qui ſe *defenſorem fidei* honoris cauſa nominari vult; imo blaſphe-

mum

mum in ipſum Deum, qui Eccleſiæ ſuæ defenſor eſt. An vero in voce *Exequutoris* hoc flagitium latet? non poteſt. Nam Vedel. ipſe Magiſtratum exequutorem ſententiæ Eccleſiæ eſſe fatebitur quæſt. 5. nec profecto omnis exequutor eſt carnifex, ſed ille tantum qui exequitur ſententiam quæ pœnam corporalem imponit, quod Eccleſia non facit, ſed tantum ſpiritualem, ad quam carnifice non eſt opus. Reſtat, ut in vocula Tantum, vel in his: *ſine poteſtate alia,* &c. lateat carnificina. At hoc ridiculum eſt, quum illæ voces ſint excluſivæ, & nihil præcedentibus addant. Iam, quod eccleſiam, Epiſcopos (Papales) & miniſtros Eccleſiæ, quaſi nulla inter illos ſit differentia, hic uno jure perfundit Vedel. quantæ in Eccleſiam Dei ac ejus miniſtros amarulentiæ ſit, ipſe ſecum recogitet. Sed (quaſi hoc ſufficiat ad argumenti bonitatem) dicit ita argumentatos Paræum & Rivetum. Illum quidem Comment. Rom. 13. p. 1084. hunc in Decalog. p. 264. a. De Paræo (qui hac de re agit p. 1408. meæ editionis, quæ nuſquam cum numeris Vedelianis convenit) nego eum ita argumentari ut Vedelius. Neque enim Paræus agit contra eos qui dicunt Magiſtratus *tantum eſſe defenſores & exequutores Eccleſiæ,* ſed contra eos qui dicunt, illos tantum *ad nutum Epiſcoporum*

Digitized by Google

porum teneri credere, ſubditos *ad credendum cogere*, in recuſantes *gladium ſtringere*. Hæc non docent miniſtri Eccleſiæ, quos Epiſcopis hic adjungit Vedel. ſed ſoli Pontificii. Nec Rivetus quidem ita ut Vedel. facit argumentatur.
„ Sed dicit, ex Magiſtratu fieri mancipium
„ (de lictore & carnifice nihil) Epiſcopo-
„ rum & Rom. Pontificis (de Eccleſia &
„ ejus miniſtris *οὐδὲ γρῦ*) ſi abſque omni
„ diſcuſſione & judicio ea recipiat quæ ei
„ ſuggeruntur. Id quod nemo ex Reformatis unquam à Magiſtratibus poſtulavit.

Secunda probatio Vedelii hæc eſt:
„ Quia Magiſtratus officium extendit ſe,
„ præter defenſionem religionis & Eccle-
„ ſiæ, etiam ad alia, ut ex ſequentibus, in-
„ quit, omnibus patebit. Hæc quoque
„ probatio cōſiſtit in mera petitione principii. Negabunt enim illi qui aliter ſentiunt, ea quæ in ſequentibus Magiſtratui ſecundum verbum Dei tribuuntur, alia eſſe à defenſione Eccleſiæ & religionis; omnia enim in ea contineri cum Alſtedio affirmabunt. Quod autem ea quæ præter verbum Dei Magiſtratui à Vedelio aſſcribuntur hac voce non contineantur, nihil miri eſſe dicent, quum falſa ſint. Hactenus de prima quæſtione.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆSTIO II.

An ad Magiſtratum non pertineat cura veræ religionis, niſi ad præſcriptum miniſtrorum Eccleſiæ?

NEgativam tribuit Bellarmino, ipſe affirmativam tuetur. Videamus quam fœliciter utroque defungatur. Bellarmini ſententiam ita ponit ex Lib. de Laïcis. c.18. Principum eſſe, dare operam, ut ea fides ſervetur, quam Epiſcopi Catholici, & præcipue ſummus Pontifex docet eſſe tenendam. Quibus verbis ait, Bellarminum nihil aliud velle, quam ejus curam debere tantum ſequi judicium latum ab Eccleſia: & aliam nullam eſſe debere, quam ut tueatur & exequatur, quod à Paſtoribus eſt præſcriptum. Exhorrui quum hæc legi. Sed ratione agamus. Quæro ex te, Vedeli, quum in quæſtione loqueris de præſcripto miniſtrorum Eccleſiæ, utrum de veris miniſtris, & vera Eccleſia loquaris, an de falſis miniſtris, & falſa Eccleſia? ſi de his ultimis, profecto inſulſa erit iſta quæſtio, & inter homines hactenus inaudita: nempe, An ad Magiſtratum pertineat cura *veræ* religionis, ad præſcriptum miniſtrorum falſæ Eccleſiæ? ſin de veris veræ Eccleſiæ miniſtris loque-

ris (ut patet è ſequentibus) qua fronte audes affirmare, Bellarminum nihil aliud velle, quam, curam Magiſtratus *illorum* judicium ſequi debere; cum is dicat, ejus eſſe, dare operam ut ea fides ſervetur, quam *Epiſcopi Catholici, & præcipue ſummus Pontifex* docet eſſe tenendam? Itane nullum diſcrimen vides inter Eccleſiam Dei & Synagogam Papæ? inter Antichriſtum ejuſque paraſitos, & veros Eccleſiæ miniſtros? Vides profecto, vides: & omnes qui hæc legent videbunt te in unum confudiſſe, quæ longius à ſe invicem diſtant quam cœlum à terra. Nam quæ iſta argumentandi ratio eſt: Principum non eſt dare operam ut ea fides ſervetur quam Papa docet eſſe tenendam, ergo neque ut ea ſervetur quam veri Eccleſiæ miniſtri docent eſſe tenendam? ita enim tibi concludendum eſt ſi eandem utrorumque rationem eſſe putas. Eodem modo argumentabor: Principum eſt *exterminare* eam religionem quam Papa docet eſſe tenendam, ergo & eam quam veri Eccleſiæ miniſtri tenendam docent. Nondum vides hanc tuam ratiocinationem excidium veræ religioni minitari? Jam videamus ſententiam Vedelianam. Eam his verbis includit: „ Magiſtratus pro fine præcipuo debet habere ſalutem & fœlicitatem populi, non temporalem ſolum,

lum, ſed etiam æternam; adeoque ad "
eum pertinet cura veræ religionis, qua "
ipſe per ſe tenetur ſollicitus eſſe de ea in- "
troducenda ubi nondum exercetur, con- "
ſervanda ubi in uſu eſt, vindicanda ubi "
corrumpitur, reſtauranda ubi collapſa "
eſt, & quidem hæc omnia ſecundum "
præſcriptum verbi Dei. Hæc propoſitio, "
dum eam confero cum quæſtione & tota exegeſi, verus mihi cothurnus videtur, in omnem partem verſatilis. Quadruplicem enim, ut minimum, ſenſum parit. Primo hunc: Ad Magiſtratum pertinere curam vere religionis, non tantum quia paſtores id præſcribunt, ſed etiam per ſe, id eſt, ratione proprii officii, &, quia Deus hoc ipſis in verbo ſuo præſcripſit. Ita ut in propoſitione Vedeliana *τὸ per ſe* conjungatur verbo *tenetur*, utque *præſcripto verbi* tribuatur ea auctoritas in quam ultimo reſolvitur ratio officii Magiſtratus hac in parte. Hic ſenſus Orthodoxus & ſanus eſt, ſed pauca vel nulla ſunt in exegeſi quæ illi aptari poſſint. Secundus ſenſus iſte eſt; Ad Magiſtratum pertinere curam religionis, non illius tantum quam miniſtri Eccleſiæ præſcribunt, ſed & illius quam Dei verbum præſcribit. Ut præſcriptum verbi Dei præſcripto miniſtrorum Eccleſiæ tanquam diverſum quid opponatur. Hoc ſenſu propoſitionem ſuam ne-

neceſſario ſumit Vedelius, cum eam opponit ſententiæ Bellarmini. Is enim quæ fides tuenda ſit definit, nempe ea quam Pontifex docet, & quidem ea tantum. Quod dum Vedel. recte negat, dicendum ei, vel, Non tenendam eam fidem quam Pontifex docet, ſed eam quam præſcribit verbum Dei; vel, non tantum illam, ſed etiam hanc. cumque quæ de Pontifice dicuntur etiam ad miniſtros Eccleſiæ perperam extendat, ita ei formanda eſt propoſitio: Non illa fides eſt tuenda quam miniſtri docent, ſed quam verbum Dei: vel ſic; Non tantum ea fides tuenda eſt quam miniſtri docent, ſed etiam quam verbum Dei. De hoc ſenſu & diximus jam nonnihil, & mox amplius dicemus. Tertius ſenſus eſt: Magiſtratus eſſe introducere, conſervare, &c. veram religionem non tantum *per Miniſtros Eccleſiæ*, ſed etiam *per ſe*, idque *verbo Dei præſcriptum eſſe*. Ut *per ſe* cohæreat cum *introducenda*, &c. Hunc ſenſum Vedelii eſſe non putaſſem, quia voces hæ longe à ſe invicem divulſæ ſunt, niſi viderem manifeſto eum intendi in exemplis principum V. T. &c. quæ in exegeſi adducit. & hunc quoque ſenſum erroris convincemus cum bono Deo. quartus ſenſus eſſe poteſt: Magiſtratus in hac ſui officii parte non tantum ſequi debere miniſtrorum præſcriptum

tum (per quod ordinarie voluntas Dei non ſolis ſubditis, ſed etiam illis revelatur) ſed & verbum quoddam Dei ab illo ſejunctum, id eſt extraordinarias revelationis. Nec hunc ſenſum Vedelio tribuere auderem, cum manifeſtum enthuſiaſmum contineat, niſi exempla Moſis, Davidis, &c. quæ Magiſtratibus imitanda proponit, etiam illum neceſſaria conſequentia depoſcerent. Poſtquam quæ latebant in propoſitione Vedeliana inquiſivimus, atque ita ſtatum quæſtionis invenimus, in ſequentibus omnia faciliora erunt. Et de reliquis ſuo loco. Quod autem ad ſecundum ſenſum propoſitionis Vedelianæ attinet, addimus jam dictis, nos *ἀντιδιαίρεσιν* præſcripti verbi Dei & præſcripti miniſtrorum Eccleſiæ minime admittere. Nam miniſtrorum eſt præſcribere quæcunque eis à Chriſto mandata ſunt. Matth. 28. 19. quod dum faciunt (ut certè faciunt *ubi vera religio in uſu eſt*, quem caſum Vedel. hic expreſſit) *præſcriptum verbi Dei*, & *præſcriptum* ejus *miniſtrornm* unum & idem eſt. Unde qui *eos* audit *Chriſtum* ipſum audire dicitur. Luc. 10. 16. & *Sermo ipſorum* excipiendus eſt, non ut ſermo hominum, ſed (ſicut eſt vere, nota) ut *Sermo Dei*. 1. Theſſ. 2. 13. qui ergo præſcriptum verbi Dei audit, eo ipſo conſtringitur præſcriptum fidelium ejus

miniſtrorum, & quidem ſolum, audire. Qui vero alterum alteri, quod Vedelius facit, opponit, in manifeſto paralogiſmo deprehenditur, dum quæ re ipſa unum ſunt in duo diſcerpit.

„ Hæc propoſitio, ait porro Vedelius,
„ eſt etiam totius Eccleſiæ Reformatæ. Quod de propoſitione ipſius in primo ſenſu conſiderata, libenter confitemur: ſed oppoſitionem *ejus quod verbum Dei Magiſtratibus præſcribit*, adverſus id *quod ejuſdem verbi adminiſtri ipſis præſcribunt*, & reliqua quæ improbavimus, non credo Eccleſiis Reformatis in mentem veniſſe. Nec teſtes Vedelii hoc dicunt. Non Sibrandus contra Grotium p. 115. ut ipſa lectione liquere poteſt: nec Walæus, ut verba ejus à Vedelio allata clamant, nec Confeſſio Belgica art. 36. nec Helvetica, c. 30. nec Scoticana art. 24. non eſt ergo quod Vedelius eam pro totius Eccleſiæ Reformatæ doctrina venditet, pro qua ne unum quidem Reformatum auctorem invenire potuit.

„ Eadem eſt ratio locorum ſcripturæ
„ quæ adducit. Deut. 17. 18. 19. 20. 2. Reg.
„ 18. 6. Rom. 13. 4. 1. Tim. 2. 2. item pra-
„ xeos piorum regum ac Principum Vet.
„ Teſt. qui ſummopere laudantur *ob cu-*
„ *ram illam*. Quemadmodum è contrario
„ vituperantur ii principes, qui curam il-
lam

lam veræ religionis non habuerunt. quæ „
omnia vera ſunt, ſed quæſtioni non ſatisfaciunt, niſi ex ea parte quæ de cura religionis loquitur. Doceat ergo Vedel. Principes aliquos laudatos eo nomine quod præſcriptum verorum Eccleſiæ miniſtrorum non ſint ſequuti, vel vituperatos quia id fecerint, vel quia id tantum fecerint. Hoc nunquam demonſtrabit, ſed contrarium, ſi vult, diſcet ab exemplo Hizkiæ (alia omitto) qui eo nomine commendatur 2. Chron. 29. 25. quod *reſtituit Levitas in domo Domini, cum cymbalis, cum nabliis, & cum cytharis, ex præcepto* (nota) *Davidis, & Gadis videntis regis, & Nathanis Prophetæ. Nam à Domino* (nota iterum) *præceptum illud erat per Prophetas ejus.* Simile eſt argumentum Vedelii ductum à noxio effectu contrarii, quando deeſt cura Magiſtratus circa veram religionem. Sed obſervet Vedel. hunc noxium effectum tunc maximę ſequi, quum Magiſtratus non ſequitur præſcriptum fidelium miniſtrorum Eccleſiæ ex verbo Dei. 2. Reg. 12. 2. *Fecit Ioſia quod rectum eſt in oculis Domini omnibus diebus ſuis quibus eum docebat Sacerdos Ioiada.* 2. Chronic. 26. 4. 5. *Fecit* (Huzzia) *quod rectum eſt in oculis Domini, omnino ut fecerat Amazia pater ejus. Fuit enim intentus quærendo Deo diebus Zachariæ, infor-*

mantis in rebus pertinentibus ad timorem Dei, &c. Hoc deficiente omnia in deterius lapſa ſunt. Argumentum à conſuetudine ethnicorum deductum non attingam in re Chriſtiana, nec opus eſt, quando nihil aliud de eis dicitur, quam quod unanimi conſenſu regibus ſuis demandarunt curam religionis: id qood & ipſi facimus. Sed multi illorum ex regibus ſuis pontifices maximos fecerunt. Hoc vero nos non facimus. An faciendum putet Vedel. nobis, quando placet indicabit. Imo ſequentia oſtendent, ut indicio non ſit opus, vel illa conſideret lector quæ affert hoc ipſo capite.

„ Poſtquam enim textus ſcripturæ, &
„ exempla principum Vet. Teſt. citavit,
„ adjicit; omnes pios principes curam
„ geſſiſſe veræ religiouis ex mandato ge-
„ nerali Deut. 17. quoſdam etiam de offi-
„ cio illo ſuo edoctos fuiſſe revelatione
„ ſpeciali; utrovis modo edocti fuerint,
„ certum tamen eſſe, eos nihil in ea re
„ præter aut contra officium ſuum feciſſe.
„ addit: Horum exemplum ſequuti ſunt
„ Imperatores pii, & hodie ſequuntur re-
„ ges ac principes, & Magiſtratus Ortho-
„ doxi omnes. Hic Vedel. iterum res multum diverſas confundit, quas ſic evolvimus, ut dicamus, eos principes qui revelatione ſpeciali de officio ſpeciali edocti fuerunt, nihil quidem feciſſe *præ-*

ter

ter aut contra officium ſuum, ſed tamen multa feciſſe *præter officium Magiſtratus ordinarium*, (de quo hic proprie agitur:) ut patet in Moſe; qui novum cultum inſtituit, quod præter officium Magiſtratus ordinarium eſſe negari non poteſt. Hinc nec pii Imperatores hoc exemplum unquam ſequuti ſunt, neque ulli Magiſtratus Orthodoxi (nedum omnes, quod Vedelius dicere audet) hoc vel faciunt hodie, vel facere debent. Huc pertinet, quod recte excipit Bellarminus, & perperam à Vedelio convellitur: "Moſen cultum Dei inſtituiſſe, &c. ut ſummum "Sacerdotem & Prophetam; reges idem "feciſſe extraordinaria auctoritate, non "tam ut reges quam ut Prophetas. Lib. 1. "de Pont. c. 7. quod cum *futile & ineptum* effugium Vedel. eſſe dicat, audiat verba Cl. VValæi, imo ipſius ſacræ ſcripturæ. Ita VValæus loquitur lib. adverſus Utenbog. p. 54. "Deus per Moſen & "Aaronem cultum Vet. Teſtam. inſtituit. "Sed quomodo? tantumne ut per Magi"ſtratus? nego hoc: & mecum id negat "S. ſcriptura paſſim. In calce Deuter. v. "10. 11. & 12. ſcripta & acta Moſis ita con"cluduntur: *Sed non ſurrexit Propheta* "*præterea in Iſraële par Moſi, quem cogno*"*verit Dominus in os. Tum omnibus ſignis* "*& prodigiis, quæ miſerat eum Dominus* "*facturum in terra Ægypti, contra Pha-*

 raonem,

„ *raonem, & contra omnes ſervos ejus to-*
„ *tamque terram ejus: Tum omnibus ope-*
„ *ribus manus fortis, & omnibus operibus*
„ *terribilibus maximis, quæ fecit Moſe ante*
„ *oculos totius Iſraëlis*: Ideoque (addit
„ Walæus) quum Moſes de Chriſto vatici-
„ natus eſt, uſque ad quem, cultum ab
„ ipſo inſtitutum durare oportebat, ac non
„ diutius, ita loquitur Deut. 18. verſ. 18. 19.
„ *Prophetam ſuſcitabo eis è medio fratrum*
„ *ipſorum, ſicut tu es, & indam verba mea*
„ *ori ejus, ut eloquatur eis quicquid præce-*
„ *pero ipſi. Erit autem ut quiſquis non au-*
„ *ſcultaverit verbis meis quæ loquuturus*
„ *eſt in nomine meo, ego repoſcam ab eo.*
„ Quibus verbis (ait Walæus) aperte af-
„ firmatur, Moſen *ut Prophetam* (atten-
„ de) cultus iſtos inſtituiſſe, & Chriſtum
„ (arrige aures) qui nihilominus eſt rex
„ regum, *ut Prophetam* illos mutaturum,
„ & cultus novi teſtamenti iuſtituturum:
„ Hoſeas quoque c. 12. 13. ait: *Deum ex*
„ *Ægypto Iſraëlem adduxiſſe, quum per pro-*
„ *phetam ſervatus eſſet.* De Joſua, Sa-
„ muele, Davide, Salomone poſtea clariſſ.
„ ille vir in eundem ſenſum ſolidiſſime
„ diſſerit. Quæ ſi Vedelio legere vacave-
„ rit, pœnitebit eum, ſpero, tanto viro
„ (per latus Bellarmini) in re tam certa,
„ tam explorata, futilitatem impegiſſe.
„ Quin etiam toti facultati Theologicæ
„ Leydenſi, quæ in Synopſi Diſp. 50. th. 53.

ait;

ait: Exemplum Moſis quod contra "hanc noſtrorum Theologorum ſenten- "tiam objicitur, eſt prorſus extraordina- "rium, & ab hac diſputatione alienum: "Non enim ut dux Politicus (audi Vedeli) ſed ut *ſacerdos Dei extraordinarius* "Aaronem Pontificem inauguravit: hæc- "que inaugurationis actio eſt ab electio- "ne Aaronis diſtinguenda. Nam prius "Aaron *à Deo electus* Moſique nominatus "fuit: mandato deinde Dei per inaugu- "rationem in vocatione ſua à Moſe con- "firmatus. Hæc Leydd. ad locum de vocatione Miniſtrorum. Quæ etiam ad quæſtionem quam præ manibus habemus ſpectant, quum Moſes hac primi ſacerdotis inauguratione, ipſum ſacerdotium, & totum adeo cultum Leviticum inauguraſſe cenſendus ſit. Facultati Theol. Leyd. aſſenſum præbent Deputati Synodi Suytholl andicæ Anno 1638. in libello ſuo ſupplice ad Hollandiæ ordines exarato (qui licet ſuppreſſus ſit hactenus, non tamen ejus veritas oppreſſa.) Ibi inter alia ſic loquuntur: "Jam vero, quod nonnulli, quantum ad "inſtitutionem Sacerdotum V. Teſt. di- "cunt, eam à Moſe, aut per Moſen ut "ſummum Magiſtratum factum eſſe, & "conſequenter inſtitutionem munerum "Eccleſiaſticorum ſummis Magiſtratibus "convenire, ac iis porro quos ipſis vide- "bitur

bitur ad id auctoritate donare, id prîmo
ab ipſis demonſtrandum erat. Neque
enim tantummodo fuit ſupremus Magi-
ſtratus, verum etiam, & quidem præci-
pue, Propheta, imo Propheta excellens
ſuper omnes Prophetas Vet. Teſt. ut vi-
dere licet Num.12. v.15.18. & Deuter.34.
verſ.10. Imo contrarium, nempe hoc
ab ipſo *non ut ſummo Magiſtratu*, ſed ut
tali Propheta factum, patet ex hiſce ra-
tionibus: Primo enim, ſi in hoc conſi-
deraretur tanquam ſummus Magiſtra-
tus, omnes ſummi Magiſtratus poteſta-
tem haberent novas ordinationes cul-
tuum & miniſteriorum, ac perſonarum
qui ea adminiſtrarent, inſtituendi. Po-
teſtas enim quæ uni ſummo Magiſtratui
ut tali competit, omnibus competit.
2. Licuiſſet vi hujus poteſtatis ſequenti-
bus ſummis Magiſtratibus & regibus,
perſonas mutare, aut earum loco alias
ſubſtituere. Attamen Jeroboam filius
Nebath rex Iſraëlis, etiam hac in parte
coram Domino peccavit, quod pro ar-
bitrio ordinavit ſacerdotes è populo, qui
non erant de tribu Levi. 1. Reg. 12. 31.
3. Res ipſa hic loquitur. Nam, Dei vo-
luntatem immediate accipere, eamque
populo Dei nomine proponere, non po-
teſt eſſe niſi opus Prophetæ extraordina-
rii. Præterea, quod David ordinem in-
ſtituit inter ſacerdotes & Levitas Hiero-

ſolymis,

ſolymis, juxta quem miniſtrarent, ut legitur 1. Chron 24.25.26. ejuſdem naturæ eſt. Nam Davidem Prophetam quoque fuiſſe abunde conſtat. videatur de eo 2. Sam.23. verſ. 2. &c. Inſuper, non ordinavit inſtituitve hic David proprie Sacerdotes, ſed ordinem duntaxat miniſterii ipſorum ſancivit neque id fecit abſolute pro ſuo arbitrio, ſed voluntatem Domini ſuper eo, juxta quam ſingulis in ſuo ordine eſſet miniſtrandum, per ſortem intellexit. Adde, quod Deus hac in parte voluntatem ſuam declaravit per Prophetas ſuos; ut liquet in reformatione quam pius ille rex Hizkias, eum ordinem ſecutus, effecit. De qua ita loquitur ſcriptura 2. Chron. 29, 25. *Reſtituit autem Levitas in domo Domini, cum cymbalis, cum nabliis, & cum citharis, ex præcepto Davidis, & Gadis videntis regii, & Nathanis Prophetæ: nam à Domino præceptum illud erat per Prophetas ejus.* Hactenus inſignes illi viri, & pro domo Dei fortiſſimi athletæ. quibus addo, quæ de Davide dicuntur 1. Chron. 28. 12. tradidiſſe videlicet eum Salomoni ſtructuram omnium quæ erant penes eum informata *per ſpiritum.* quibus v. 13. accenſentur & *diſtributiones Sacerdotum ac Leviticarum*. Ipſe autem David verſ. 19. Hæc, inquit omnia *de ſcripto à manu Domini* incumbere

mihi

Digitized by Google

mihi inſtruxit me. Ubi R. D. Kimchi, hæc verba, *per ſpiritum*, ita explicat ברוח נבואה כי על פי רוח הקדש ידע כל תבנית הבית או על ידי עצמו או על ידי שמואל הנביא: id eſt: *per Spiritum prophetiæ*. Nam ex ore (id eſt mandato) *Spiritus Sancti* noverat omnem ſtructuram domus, ſive per ſe ipſum, ſive per Samuelem Prophetam. Hæc Kimchi. Quibus conſentit Jun. qui, *per Spiritum*, inquit, id eſt, auctore Spiritu Sancto: ut ipſe (David) exponit verſ. 19. Quod porro Whitakerum, Martyrem, Junium, Paræum, Rivetum eodem ſecum Vedelius trahit, credemus ei poſtquam eorum verba conſignatis locis, attulerit. Interim pergemus ad reliqua.

Reijcit Vedelius exemplum Uziæ regis, à Bellarmino adductum, volentis tus adolere, qui ideo leprâ à Deo percuſſus fuit. Idque ait ineptè objici, citans in eam, rem verba Martyris: quæ quanquam in Append. Loc. Com. reperire non potui, tamen concedo vera eſſe, fateor etiam exemplum Uziæ nihil facere contra curam religionis Magiſtratui conceſſam; ſed maxime facere ajo contra formale exercitium eorum quæ ſolis eccleſiaſtico munere fungentibus conveniunt, qualia non pauca Magiſtratibus Vedel. attribuit. Quod autem Conciliorum & Patrum quædam dicta à Martyre

tyre allata improbat, quæ à Paræo rejiciantur &c. quia qualia ſint ignoramus, ſuo ea loco & pretio relinquimus. Hoc unum ſubmonentes, non magis Paræi ſententiam ſententiæ Martyris debere præjudicare, quam ſententiam Martyris ſententiæ Paræi, quum non minoris ille quam hic (noſtro quidem judicio) faciendus ſit.

QUÆSTIO III.

An poteſtas Magiſtratus ſeſe extendat ad omnes partes officii miniſtrorum eccleſiæ?

Dicit Bellarminum negativam tueri, idque ſibi è præcedentibus & ſequentibus credi vult, ipſe affirmat, & hanc propoſitionem format: "Poteſtas Magiſtratus ſeſe extendit ad omnes partes officii Epiſcoporum ſeu miniſtrorum Eccleſiæ. Per Epiſcopos ſi Epiſcopos papales intelligit, injuriam facit miniſtris Eccleſiæ, quod eo quo facit modo eos confundit. Et ſane videtur is ejus ſenſus eſſe, idque ab eo factum, ut commodiuis ſententiam ſuam Bellarminianæ opponeret. De re ipſa reſpondemus, nos admittere illam propoſitionem, modo poteſtas pro cura illa ſumatur, quam ipſe obje-

objectivam vocat. Sed hanc propoſitio-
nem illi Vedelianæ, ex ipſis illis auctori-
,, bus quos citat, addimus: Poteſtas (ſpi-
,, ritualis) miniſtrorum ſeſe extendit ad
,, omnes partes officii tam Magiſtratus
,, quam cujuſcunque ſtatus hominum. Ita
,, ut utraque poteſtas æque late pateat, ſed
,, non eodem modo. Probat propoſitio-
nem ſuam Vedelius è verbis Ameſii Me-
dull. Theol de Magiſtratu (qui titulu-
non invenitur in Medulla Ameſii, ſed
verba lib. 2. cap. 17. De Honore proximi
,, theſi 49.) ſunt autem hæc: Nulla res,
,, perſona, aut cauſa tam eſt Eccleſiaſtica,
,, quin aliqua ratione pertineat ad juriſ-
,, dictionem Magiſtratus. Bene. Sed au-
,, di quæ adjicit: Neque ulla eſt actio tam
,, ſecularis, modo ab Eccleſiæ membro
,, præſtetur, quin, quatenus gratiam (for-
,, te, gratitudinem) erga Deum reſpicit,
,, pertinere poſſit ad Eccleſiaſticam cogni-
,, tionem. Vides apud Ameſium utram-
que poteſtatem, quantum ad extenſio-
nem, pari jure eſſe. Ita etiam apud Mar-
tyrem, qui ſecundus Vedelii teſtis eſt. Is
enim Loc. Com. Claſſ. 4. cap. 13. §. 9.
,, citante Vedelio, ait: Rurſus, politica po-
,, teſtas ad omnia extenditur quæ ad po-
,, teſtatem Eccleſiaſticam pertinent, ac cæ-
tera quæ ibi ſequuntur. Sed quid imme-
,, diate anteceſſerat? attende: Eccleſiaſti-
,, ca itaque poteſtas hæc omnia comple-
ctitur,

ctitur, quia ex verbo Dei *omnibus* in rebus invenit quod conſulat. Nihil enim eſt in toto mundo ad quod verbum Dei ſe non extendat. Quocirca longe falluntur, qui clamitare ſolent: quid concionatoribus *cum republica*? quid cum armis? quid cum pharmacopolis? quid cum cocis? at dicant ipſi, quando miniſter verbi animadvertit in iis rebus legem Dei violari, cur non reprehendat ex verbo Dei? cur non admoneat? cur non hortetur ut à peccato deſiſtant? ejus profecto eſt corripere peccantes, non quidem gladio, non pecuniaria mulcta, non carcere, non exilio, ſed ſuo modo, hoc eſt, *Poteſtate verbi Dei*. Hic vides omnia apud Martyrem in utraque poteſtate, quo ad extenſionem paria eſſe. Ut & clarum eſt è verbis ab ipſo Vedelio citatis, ea enim ita Martyr concludit: Proinde utraque poteſtas latiſſime patet, & OMNIA complectitur, ſed non eodem modo. Sibrandi & Iuelli dicta, nihil aliud quam nos attulimus dicunt. tantum enim CVRAM rerum Eccleſiaſticarum Magiſtratui tribuunt, quod & nos facimus. Sequitur dictum Conſtantini Magni apud Euſebium l. 4. c. 24. de vitâ ipſius, quod laudat Vedelius. Quanquam autem id nihil ad rem faciat, quia Conſtantinus tum temporis membrum Eccleſiæ nondum erat,

utpote

utpote qui, ut ſupra vidimus, necdum erat baptizatus, imo ne inter *competentes* quidem (ut illa tunc diſtinguebantur) nedum inter *fideles*, ſed inter mere *catechumenos* haberetur: licet etiam dictum hoc non in Senatu, aut Synodo, ſed in convivio quodam ab illo Imperatore prolatum, levius videri poſſit, quam ut pro gravi argumento adducatur, aut etiam ad vivum reſecetur, tamen nequid quod ullo modo ad rem facit tranſiliamus, primo id explicabimus, mox gloſſulam Vedelij excutiemus. Dictum Conſtantini ita Vedelius citat: Vos eſtis Epiſcopi intra Eccleſiam, ego extra Eccleſiam. Sed ſciat Vedelius, perperam ita verti. Verba Imperatoris fuerunt: ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτός. id eſt (ut vertit Cl. Rivetus) vos quidem *eorum quæ* intus, nempe, geruntur, in Eccleſia, ego vero *eorum quæ extra*. Sed, quod pace tanti viri dictum velim, vertendum non dubito: eorum *qui* intra, &, eorum *qui* extra. docent hoc aperte antecedentia & conſequentia, ubi ſedulitas Conſtantini in exhortanda ſua familia ac ſubditis ad pietatem deſcribitur, & ſtatim poſt verba Conſtantini, illud τῶν ἐκτὸς explicatur per τῶν ἀρχομένων, id eſt, ſubditorum. Hanc ſuam curam quaſi Epiſcopatum quendam eſſe ait, ita tamen ut eum ab-

Ec-

Eccleſiaſtico diſtinguat, & Oeconomicum ac Politicum eſſe innuat: iis ergo verbis Conſtantinus (quod & ipſum pace Cl. Riveti dictum accipiatur) non ſe dicit Epiſcopum relate ad Eccleſiam, ſed ad eos qui ſunt extra Eccleſiam: & per terminum hunc reſtringentem, ut loquimur, ſe non in propria, ſed metaphorica ſignificatione ea voce uti palam facit. Præclare in hanc ſententiam Auguſtinus in Joan. tract.51. Cum ergo auditis, fratres, Dominum dicentem, Ubi ego ſum, illic & *miniſter* meus erit: nolite tantummodo bonos *Epiſcopos* & clericos cogitare: etiam vos pro modulo veſtro *miniſtrate* Chriſto, bene vivendo, eleemoſynas faciendo, nomen doctrinamque ejus quibus potueritis prædicando; ut unuſquiſque etiam paterfamilias hoc nomine agnoſcat paternum affectum ſuæ familiæ ſe debere pro Chriſto, & pro vita æterna. Suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam: ita in domo ſua Eccleſiaſticum, & *quaſi epiſcopale* implebit officium. Poſtquam verum ſenſum dicti Conſtantiniani eruimus, minus laborandum erit de gloſſemate Vedelii, *extra Eccleſiam, id eſt, extra templum.* Quæ verba apud Cl. Rivetum (qui ea à Paræo in 13. cap. Rom. p. 1424. ut videtur, mutua-

tus,

tus, conatus fuit illuſtrare) ſenſum longe diverſum habent, quam apud Vedelium. Ille enim per *templum* intelligit, *rerum ſacrarum adminiſtrationem*, & *officium, ut loquuntur, divinum*. Extra quæ Conſtantinus fuerit Epiſcopus. At Vedelius hic de ea Magiſtratus cura & poteſtate loquitur, quæ ſe extendit ad omnes partes miniſterii Eccleſiaſtici, & ad ipſum conſequenter officium divinum. Quanquam, quid opus fuit Vedelium tam obſcuram gloſſam conſectari, qua Eccleſia per templum, & templum poſtea per officium divinum aut aliud neſcio quid explicetur, cum in Reſponſionibus ad Notas Cl. Triglandii, veris victus fateatur, Magiſtratum ut talem, *non eſſe in Eccleſia ſumpta pro regno Dei ſpeciali*, & nullum proprie loquendo munus in ea habere? v. Reſp. ejus ad quæſt. 1. & ad Corollarium in fine Notarum. quæ explicatio cum ſuperiori illa conſiſtere non poteſt vel certe eam ſupervacaneam reddit, cum in hac vox Eccleſiæ proprie ſumatur, in illa per κατάχρησιν, ut conſideranti liquet.

Quæ de cura Magiſtratus circa res Eccleſiaſticas tradidit Vedelius, ea in ſano ſenſu approbavimus. Nunc ſequuntur ea quæ nullo modo approbari poſſunt. Et quidem primo in diſtributione hujus vel curæ vel poteſtatis, mox in

in collatione ejus cum officio Doctorum Theologiæ: De primo hæc ſnnt ejus verba: Summa: Magiſtratus poteſtas habet ſe ad quaſdam partes officii miniſtrorum objective tantum, ſeu directive, non autem formaliter; non enim ipſe adminiſtrat ſacramenta, &c. ſed tantum curat ut illa recte fiant. Ad alios autem habet ſe & formaliter & objective; Ut enim Paſtores habent jus vocandi alios Paſtores, monendi ſuos ſymmyſtas officii, judicandi in Synodis, conſtitutiones Eccleſiaſticas in Synodis ſanciendi, præſidendi in conventibus eccleſiaſticis, deponendi miniſtros; ita Magiſtratus, & una cum miniſtris omne illud jus habet, & præterea, pro imperio & poteſtate ſua coactiva externa quam habet, dirigit ordinem externum, & curat, jubet, ut miniſtri illi illa omnia recte faciant, ſeu actionibus illis recte defungantur. Hæc ille. In quibus non tam eſt *ſumma* eorum quæ antea tradidit, quam quæ in ſequentibus traditurus eſt. Ut breviter ad ea reſpondeamus, quicquid dicit de poteſtate *objectiva & directiva*, probamus, quicquid de *formali* prorſus negamus. Negamus inquam, Magiſtratus poteſtatem ſe ad ullas partes officii miniſtrorum formaliter habere. Nam qui ad partes aliquas officii miniſtrorum Eccleſiæ formaliter

ſe

ſe habet, eum reſpectu illarum partium formaliter miniſtrum Eccleſiæ oportet eſſe, aut vero, in alienum munus involare. Negamus ergo Magiſtratus habere jus vocandi Paſtores formaliter; judicandi in Synodis de negocio fidei & Eccleſiæ, judicio deciſivo; item, conſtitutiones eccleſiaſticas ſanciendi, id eſt condendi. Nam de politica approbatione, aut promulgatione, quæ etiam ſanciendi voce interdum notatur, concedimus: at in ea non facit Magiſtratus idem quod miniſtri faciunt, ſed actum plane diverſum. Negamus eum præſidere in conventibus Eccleſiaſticis, niſi ordinis cauſa. Negamus eum habere jus deponendi miniſtros formaliter, quod hic Vedelius affirmat, & ad quæſt. 6. manifeſta contradictione negat. Negamus admonitionem Magiſtratus miniſtro euangelii factam, eccleſiaſticam eſſe, qualis eſt Paſtorum. Denique, quicquid circa Eccleſiam juris habet Magiſtratus, negamus eum habere una cum miniſtris, ſed ſeorſim ab eis. Vides, quantum controverſiarum nobis cum Vedelio intercedat, quæ in ſequentibus, collatis rationibus, enucleabuntur. Interea loci, hæc è Cl. Voetii Diſp. 1. de poteſt. Eccl. theſ. 8. noſtris examuſſim conſentanea apponemus: Qui non habet partes, nec exercet actus poteſtatis Eccle-

ſiaſticæ

ſiaſticæ, ille ipſam non habet: Sed Magiſtratus non habet, &c. Ergo. Valet conſequentia majoris ab enumeratione partium. Minor probatur (auſculta Vedeli) quia nec conſtitutiones ſeu leges presbyterales, claſſicales, ſynodales condit; nec verbi miniſtros, ſeniores & diaconos probat, eligit, ordinat, ſuſpendit, deſtituit; nec ſynodum facit, & ſuffragiorum conſenſu aut pluralitate ſynodaliter judicat & decernit (idem de presbyteriis aliiſque conventibus dicendum) nec ad ſynodos deputat, nec deputatos literis mandati & fidei inſtruit; nec verbum & ſacramenta diſpenſat, nec viſitationes eccleſiaſticas inſtituit, nec cenſuras & diſciplinam eccleſiaſticam exercet. Si excipiatur: non quidem omnes partes, ſed aliquas jure obire poſſunt: Reſp. 1. eſſe omnes partes connexas, nec poſſe probari ex ſcripturis, unã ipſis magis aut minus competere quam aliam. Et mox: Dum ergo Magiſtratus & Eccleſia verſantur circa idem negocium eccleſiaſticum, & eadem apoteleſmata videntur producere, utique *idem non agunt*, ſed quiſque ἐνεργείᾳ propria ſecundum propriam poteſtatem, agit quod ſuum eſt.

Pergendum nobis eſt ad præcipuum arcanum hujus Diſputationis, cujus fontem hic aperit Vedelius, rivos vero per ſequentes quæſtiones ſpargit. Con-

ſiſtit hoc in iis quæ de officio Doctorum Theologiæ adjicit, quos ita Magiſtratibus paſſim apponit, ut lectori non plane ſtupido facile appareat, eum verbis quidem ad Magiſtratum, re ipſa vero ad Profeſſores Theologos dominium in
„ Eccleſiam transferre. Conſideremus e-
„ jus verba: Et poteſt, inquit, hæc diſtin-
„ ctio optime intelligi per analogiam ac
„ ſimilitudinem officii Doctorum & ſeu
„ Profeſſorum Theologiæ. Expreſſi textum ut primo editus eſt. Licet videam in illo *&* *ſeu* alterutrum redundare. Sed qui ſcio an non de induſtria utrumque reliquerit Vedelius, dum dubitat utrum poneret? nam profecto utrobique difficultas eſt. Si enim dicat, *Doctorum & Profeſſorum*, videbitur plus dicere quam Paulus, qui *doctores* tantum nominat, ſin dicat, *Doctorum ſeu Profeſſorum* (ut in poſteriori editione) res diverſas confundet. ſunt enim *doctores* Theologiæ qui *Profeſſores* nec ſunt nec unquam e-runt; ſunt *Profeſſores* Theologiæ qui Doctoris titulum nec habent nec habere curant, Ut Melanchthon, Calvinus, alii. Sed progrediamur in Vedelio. Horum
„ enim, inquit, officium eſt etiam Mini-
„ ſterium Eccleſiaſticum ordinarium à
„ Chriſto inſtitutum. Ubi mira quædam connexio eſt: ſimile eſſe officio Magiſtratus officium Profeſſorum Theolo-

giæ,

giæ, quia horum etiam officium ſit miniſterium eccleſiaſticum. Unde ſequetur, officium Magiſtratus Eccleſiaſticum eſſe, ſi Vedelius ſuam ſimilitudinem inventurus eſt. Sed videamus an hoc verum ſit; Officium Profeſſorum eſſe miniſterium Eccleſiaſticum à Chriſto inſtitutum. Pertinebat hoc quidem ad locum de miniſtris eccleſiæ, ſi Profeſſores ſint eccleſiæ miniſtri, verum Vedelius, captata occaſione, ipſos inter membra Eccleſiæ militantis una cum Magiſtratibus recenſere maluit, propter ſimilitudinem cum eis & analogiam. quod quo tendat, conſiderent Eccleſiæ Chriſti. Nam & in reſcripto quodam ad ſynodum Leovardienſem eandem chordam tangit: “ Academia, (ait) qua talis nulli ſynodo provinciali ſubjecta eſt, non ſecus (nota) atque Magiſtratus. qua talis Synodo provinciali ſnbjectus non eſt. Ubi exemplo minus invidioſo uti poterat. Nam nec mercatorum nec opificum collegia *qua talia* Synodo ſubjecta ſunt: ſed aut fugit me ratio aut Profeſſores cum Magiſtratibus ita complicavit, ut eadem utrorumque ratio eſſe, & utrique, Synodo non ſubeſſe ſed præeſſe, propter ſimilitudinem utriuſque muneris, intelligantur. Verum ad rem, de miniſterio eccleſiaſtico ordinario, à Chriſto inſtituto; id Profeſſoribus vindicat

dicat Vedelius, ex Rom.12.7. Eph.4.11. 12. 13. quibus locis paſtorum & doctorum officia diſtincta poni videntur. Sed ſi nihil aliud habes, Vedeli, perinfirma tua probatio eſt, ut jam cuivis intelligenti perſpicuum faciam. Prior locus ad quem Vedel. digitum intendit ita habet: *Sive miniſterium, verſemur in miniſtrando: Tum is qui docet, in docendo, tum qui exhortatur in exhortatione*. Hic Vedel. quantum perſpicere poſſum, putat per eos qui *docent* intelligi *Profeſſores*, per eos qui exhortantur *Paſtores*. Itaque duo hic miniſteria innui putat, quorum alterum in docendo, alterum in exhortando verſetur, illud Profeſſoribus, hoc Paſtoribus proprium eſſe. Cujus opinionis ſenſum, malo Piſcatoris quam meis verbis intelligi. Is ergo in hunc locum,
,, ὁ διδάσκων, inquit, prima ſpecies pro-
,, phetiæ, munus docendi, id eſt, ſimplici-
,, ter exponendi ſenſum ſcripturæ, ſine ac-
,, commodatione ad ſpecialem uſum au-
,, ditorum ὁ παρακαλῶν altera ſpecies pro-
,, phetarum, videlicet eorum, qui ſcriptu-
,, ram accommodant ad uſus auditorum,
,, qui alias dicuntur paſtores, ſicut alteri
,, nominantur Doctores 1. Corinth. 12. 28.
,, Eph.4.11. Idem in poſteriorem hunc lo-
,, cum ſcribens, Doctores, inquit, nomi-
,, nantur qui dextere poſſunt tradere fun-
,, damenta doctrinæ Chriſtianæ, etſi *non*

poſſint

poſſint doctrinam transferre ad praxin exhortando, ut paſtores. Nihil tamen vetat, quin unus idemque & paſtor & doctor ſit. confer locum 1. Cor. 12. v. 28. & 29. Ubi tamen ſub nomine doctorum paſtores videntur comprehendi: quippe qui illic expreſſe non nominantur, &c. Hæc Piſcator, qui 1. ſibi ipſi non conſtat. Nam in Rom. 12. citat pro diſtinctione horum duorum munerum locum 1. Cor. 12. at in Epheſ. 4. eundem locum ſub doctorum voce paſtores comprehendere arbitratur. 2. Præter jus & meritum, & munus doctorum ita circumſcribit, quaſi ipſorum non ſit expoſitiones ſuas ad uſum transferre, diſcipulos ſuos hortari, &c. & perſonas eorum ita deprimit, quaſi hoc præſtare non poſſint. 3. *ἀσύστατα* loquitur, cum doctores hoc poſſe negat, Paſtores poſſe affirmat, & tamen eoſdem poſſe eſſe paſtores & doctores. ſequeretur enim, eoſdem unam rem & poſſe & non poſſe. Sed quid abſurda hujus ſententiæ operoſius conquiram? quum eam ipſe Vedelius ſuo exemplo, vel in hiſce theſibus refutet, in quibus uſus hujus ſuæ doctrinæ, eoſque non paucos, peculiari capite nobis exhibuit: quî hoc auſus, imo quî hoc potuit ſi nec muneris ſui id eſſe cenſuit, nec ſeſe ad hoc aptum eſſe arbitratus eſt? His & ſimilibus difficultatibus ut medelam

afferrent quidam docti viri ita hanc ſententiam temperarunt, ut Doctores eſſe dixerint, qui maxime in docendo, minus vero in exhortando, paſtores contra, qui maxime in hoc, in illo vero minus verſentur. At ea explicatio 1. in ſcriptura fundamentum nullum habet. Oſtendant enim, ubi Paſtoribus injunctum ſit, apud Eccleſiam, qua non ſolum ignobile vulgus, ſed & ſummates viri, atque adeo ipſi Theologiæ Profeſſores continentur, minus exponere ſenſum ſcripturæ, quam Profeſſores apud ſuos diſcipulos faciant. Hoc nunquam poterunt. Oſtendant item, ſtudioſos adhortationibus præceptorum ſuorum minus indigere, quam auditores verbi divini hortamentis paſtorum ſuorum, ideoque doctores minus quam illos in hortando verſari debere. 2. Hæc explicatio ſe ipſam evertit. Magis enim & minus non variant ſpeciem. quod ergo hi magis in docendo, illi in exhortando verſentur, cum utrique tamen utrumque faciant, ex eo miniſterii ſpeciem non variari, nec proinde locum hunc quicquam ad diſtincta ex his munera facienda conferre perſpicuum eſt. Sed omnia clariora etiam erunt ex altero loco quem Vedel. in rem ſuam citat: Nimirum Eph. 4. 11. ubi hæc leguntur: *Is igitur dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas*

phetas, alios autem Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores. Ubi, quaſi ſcriptum eſſet, *alios Paſtores, alios Doctores* (quod tamen minime factum) Vedel. putat per Doctores intelligi Profeſſores Theologiæ. Quo errore ut ipſum, ſi fieri poſſit, liberem, duo maxima Eccleſiæ antiquæ lumina, Hieronymum & Auguſtinum ei opponam. Ita ergo in hunc locum Hieronymus: Nec vero putandum, quod ſicut in ſuperioribus tribus, alios dixit eſſe Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas: ita & in Paſtoribus & magiſtris officia diverſa poſuerit: Non enim ait: alios autem paſtores, & alios magiſtros: ſed, alios paſtores & magiſtros: ut qui paſtor eſt, eſſe debeat & magiſter: nec in Eccleſiis quāvis ſanctus ſit, paſtoris ſibi nomen aſſumere, niſi poſſit docere quos paſcit, &c. Auguſtinus etiam ep. 59. ad Paulinum: Paſtores autem & doctores quos maxime ut diſcernerem voluiſti, eoſdem puto eſſe, ſicut & tibi viſum eſt, ut non alios paſtores, alios doctores intelligamus, ſed ideo, cum prædixiſſet paſtores, ſubjunxiſſe doctores, ut intelligerent paſtores ad officium ſuum pertinere doctrinam. Ideo enim non ait: Quoſdam autem paſtores, quoſdam vero doctores, ſed, cum ſuperiora ipſo locutionis genere diſtingueret, dicendo, quoſdam au-

„ tem Apoſtolos, quoſdam autem Euan-
„ geliſtas, hoc tanquam unum aliquid
„ duobus nominibus amplexus eſt, quoſ-
„ dam autem paſtores & doctores. Idem
Paulino attribuit Lud. Molin. Apol. Ep.
„ ad Verid. p. 93. Obſerva, inquit, Pauli-
„ num credidiſſe nihil intereſſe inter pa-
„ ſtores & doctores. Idem Primaſio. p. 99.
„ Primaſius, inquit, Epiſcopus Africanus,
„ Auguſtini diſcipulus, in c. 4. ep. ad Eph.
„ v. 11. *Paſtores ſunt Sacerdotes: Doctores*
„ *quicunque ſunt idonei ad alios inſtruen-*
„ *dos; omnes ergo paſtores, etiam Doctores,*
„ *etiam Paſtores*: Nullum ponens diſcri-
„ men inter doctores & paſtores. Idem
„ Oecumenio & ſcholiaſtis græcis Sal-
„ maſius, de Ep. & presb. p. 200. Oe-
„ cumenius, (ait) & alii ſcholiaſtæ græci,
„ paſtores iſtos & doctores de Epiſcopis
„ accipiunt & Epiſcopos locales intelli-
„ gunt. Idem Theodoreto p. 227. qui pa-
„ ſtores de urbium, doctores, de vicorum
„ Epiſcopis qui χωρεπίσκοποι dicebantur,
„ ſumit. Ποιμένας δὲ καὶ διδασκάλους, τοὺς κα-
„ τὰ πόλιν καὶ κώμην ἀφωρισμένους λέγει.
Adjiciamus & unum alterumve è papa-
tu, eoſque non infimi nominis. Gloſſæ
ergo Ordinariæ auctor, ad voces, *paſto-*
„ *res & doctores*, annotat: Ut Epiſcopos,
„ qui verbo & exemplo docere debent. &
„ ideo conjunxit paſtores & doctores. Pa-
„ ſtor enim non eſt niſi habeat doctrinam
qua

qua gregem paſcat. Thomas Aquinas, in eundem locum: *Alios autem Paſtores*, inquit, curam Dominici gregis, habentes. Et ſub eodem, addit, *& Doctores*, ad oſtendendum quod proprium officium paſtorum Eccleſiæ eſt docere ea quæ pertinent ad fidem & bonos mores. Eoque citat Hier. 3. Dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina. Non adjiciam his, Hugonem Cardinalem, non Nicolaum de Gorram, non Dionyſium Carthuſianum, qui idem dicunt. ipſe eos cum vacaverit inſpicies. Sed prætereundus non eſt Eraſmus Roterod. qui hunc locum παραφράζων, Quoſdam enim, ait, voluit eſſe præcipuos, velut Apoſtolos, principes & auctores Euangelicæ prædicationis, quoſdam vero Prophetas, qui Moſaïcæ legis involucra norint explicare: quoſdam Euangeliſtas, qui Apoſtolorum fungentes vicibus, obambulantes circumferant Euangelium: quoſdam rurſus paſtores ac doctores, velut Epiſcopos, qui pabulo ſacri ſermonis ac ſalubri vitæ exemplo paſcant Chriſti gregem. E Reformatis hæc habet Muſculus: *Alios autem paſtores ac doctores*, inquit, Hi iidem ſunt. Paſtores à paſcendo gregem Domini, metaphorica voce, & doctores à docendo vocantur. Eſt autem idem paſcere quod docere. Etenim

Digitized by Google

quod cibus eſt ventri, doctrina veritatis eſt menti. Quare non diviſim dixit; *Alios paſtores, & alios doctores,* ſed conjunctim, *alios paſtores ac doctores.* Non eſt autem ocioſa unius & ejuſdem officii geminatio, quod dicit, alios paſtores ac doctores. Admonemur enim eos demum veros eſſe paſtores in eccleſia Chriſti, qui docent, hoc eſt, doctrina vitæ gregem Domini paſcunt. Per hoc enim quod adjecit, Ac doctores, expoſuit quales paſtores intelligat: Quare, quos hodie in Papatu Paſtores vocant, cum non doceant, ſed cæremoniis tantum vacent, nihil minus ſunt quam paſtores. Omnino tales non ſunt paſtores à Chriſto Eccleſiæ dati. Rurſus, non ſunt veri doctores in Eccleſia, qui titulum quidem doctoratus jactant, populum vero Domini non paſcunt. Loquor de Doctoribus Theologiæ. Hactenus Muſculus. Cui conſentit Sibrandus Lubbertus, ut liquet è theſibus publice ipſo præſide diſputatis à Bartholdo Hauſmanno, Anno 1604. Ubi de Miniſtrorum ordinibus agens, ita loquitur theſ. 31. Paſtores, Doctores, iidem ſunt qui & Epiſcopi & presbyteri vocantur, certis Eccleſiis docendis & gubernandis ab ipſis Apoſtolis deputati, & eorum quaſi ſucceſſores conſtituti theſ. 32. Paſtores voce metaphorica à paſcendo, id eſt, docendo, unde

unde & doctores dicuntur: presbyteri vero, quod cæteris ſint & ætate & ſapientia ſeniores (nam ſeniores ea vox ſonat) Epiſcopi autem propterea vocantur, quod cura ipſis ſit commiſſa ſuper populum Domini, ut illi in cauſa ſalutis vigilanter proſpiciant, &, ſiquid noxii immineat, in tempore ſingulos præmoneant & reſiſtant. In his Sibrandi verbis, quod de ætate dicit, prudenter accipiendum eſſe, patet exemplo contrario Timothei. 1.Tim.4. 12. ſed doctores eum cum paſtoribus eoſdem eſſe cenſuiſſe clarum eſt. Scio multos & inſignes viros in diverſa eſſe ſententia, qui hic diſtincta miniſteria eſſe putant, ſed cum ad explicandum hoc diſcrimē accedunt, ita varie, & titubanter agunt, ita & à ſe ipſis & inter ſe diſſonant, ut præſtet eorum expoſitiones ſilentio præterire, quā odioſius excutere. Et viderunt hoc proculdubio interpretes & reviſores noviſſimæ verſionis Novi Teſtamenti, ad quā, inter alios viros præſtantes operam ſuam contulerunt tres magni nominis Doctores, Walæus, Hommius, & Altingius, qui, ſiquid ſolidi in textibus à Vedelio citatis pro officio Profeſſorum inveniſſent, utique nobis indicaſſent. Ii ergo, ad verba Pauli Rom. 12. 7. Nota 34. *Qui docet*, hoc eſt, inquiunt, qui vocatus eſt ad munus doctoris, Qui Do-

ctores, quum hic ab exhortatoribus diſtinguantur, PVTANT QVIDAM per eos peculiariter intelligi eos qui *præcipue* vocati ſunt ad declarandam Chriſtianam doctrinam, eamque adverſus falſos doctores & contradicentes defendendam. Eodem fere modo in Eph. 4. 11. Nota 28. QVIDAM, inquiunt, hæc duo munera diſtinguunt, ita ut Paſtores Eccleſiam non ſolum doceant & inſtituant, ſed etiam diſciplina Eccleſiaſtica ducant & regant, quemadmodum Paſtores cum ovibus agunt, Doctores vero *tantummodo* occupentur ſcriptura explicanda, & veritatem doctrinæ adverſus hæreſes & errores defendendo. Verum, quandoquidem vocula ALIOS (ſive *quoſdam*, ita enim illi reddunt, ſenſu eodem) hic non interponitur, quemadmodum in præcedentibus diſtinctis vocationibus, hanc ob cauſam alii pro uno eodemque munere hæc ſumunt: ac duo hæc nomina hic conjungi (ajunt) ut indicetur, OMNES PASTORES ETIAM DOCTORES ESSE DEBERE. Sicut horum duorum nominum alterum pro altero in ſcriptura ſæpenumero ponitur, ac Paulus hæc duo conjungit in exploratione Miniſtrorum Eccleſiæ. 1. Tim. 3. cap. & Tit. c. 1. Dicet aliquis hic Interpretes illos inter duas has ſententias alternare, ſaltem non perſpicue quid ipſi ſentiant defi-

definire. Adjiciamus ergo, ut omne dubium tollatur, quæ notant in Apoc. 4. 6. ubi ad locum *ad* Epheſ. digitum intendunt, eumque ita explicant. Nota 18. Ut per quatuor animalia à Joanne viſa apte dicant intelligi poſſe paſtores ac doctores novi Teſtamenti, quorum *quatuor* (non quinque) ordines à Paulo exprimuntur Eph. 4. 11. nempe Apoſtoli, Prophetæ, Evangeliſtæ, & Pastores sive Doctores. Sentit, opinor, Vedelius, auctores ac reviſores præſtantiſſimi illius operis nihil certi pro Theologiæ Profeſſoribus in illis textibus reperire potuiſſe, ſed ſenſum contrarium ingenue prætuliſſe. Accedat his ſententia Salmaſii (qui ſupra nobis Patres aliquot ſuppeditabat) ex libr. de Ep. & presb. p. 54. ubi ad Eph. 4. 11. τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους, Hi, inquit, Paſtores ac Doctores, de Epiſcopis presbyteriſve intelligendi, qui paſcendo gregi Chriſti præficiebantur, & docendo in eccleſia Dei verbo præficiebantur. idem p. 383. Ut Synagoga Judaica presbyteros habuit, & *magiſtros ſive Doctores*, ita & Eccleſiam Chriſti hujuſmodi πρεσβυτέριον habere (Apoſtoli) voluerunt, in quo *paſtores iidem doctoreſque* eſſent, qui eccleſiam ſimul regerent, & populum docerent. idem p. 441. ut doctores vocantur, ita etiam paſtores διδάσκαλοι καὶ ποιμένες.

Confer

Confer p. 57. 137. & ſeqq. 147. 171. 199. 332. 357. Quod autem ſenſum art. 2. Ordinis noſtri eccleſiaſtici attinet, (quem pro ſe citat Vedel. Reſp. ad quæſt. Trigl. art. 1.) ubi officium Doctorum (diſtinctorum à paſtoribus) inter miniſteria eccleſiaſtica, ſine in Eccleſia neceſſaria refertur, id de miniſterio objectivo, & quidem mediato ſine remoto, atque ita improprio neceſſario ſumendum, quatenus videlicet circa S.S. Theologiæ ſtudioſos, qui ſuo tempore ad regimen eccleſiarum aſſumendi ſunt, verſantur. Alioquin is canon repugnaret Confeſſioni Eccleſiarum Belgicarum, quæ art. 30. miniſtros eccleſiæ in paſtòres, ſeniores, & diaconos diſtribuit, nulla doctorum facta mentione.

Sed operæ precium eſt, videre, quomodo Doctorum quales ipſe ponit, officium Vedelius deſcribat. Id, ait, in eo „ conſiſtit, ut tum viva voce in ſcholis, tũ „ ſcriptis in tota Eccleſia doceant veram „ cognitionem & cultum Dei. Hæc ille. E quibus primum damus, nempe officium Doctorũ Theologiæ, quales nunc ſunt, eſſe docere viva voce in ſcholis: ſed nihil ad rem Vedelii. Nam eatenus non eſt eccleſiaſticum hoc munus ſed ſcholaſticum: aliud ſchola eſt, aliud Eccleſia. Reliqua quæ addit prorſus negamus. Negamus inquam 1. doctorum ratione

munc-

muneris ſui eſſe, totam, id eſt univerſam Eccleſiam docere. id enim non aliis quā ſolis Apoſtolis injunctum eſt. Mat. 28. 19. Marc. 16. 15. Negamus 2. tale munus & quidem ordinarium à Chriſto inſtitutum eſſe, quod totam Eccleſiam ſcripto, nullam autem voce doceat. Probet hoc Vedelius, & virum putabimus. Negamus 3. doctoribus ſpeciatim impoſitum eſſe ſcripto docere. Illud nec ſcriptura uſquam dicit, nec (quod ſciam) vocatio ipſorum habet, nec praxis evincit. Sunt enim Doctores qui nihil ſcribunt, nec minus fideliter ſuo munere defunguntur. Contra multi multa ſcribunt qui doctores non ſunt, imo qui nullam functionem vel Eccleſiaſticam vel Scholaſticam habent. ut ſole clarius eſt. Hoc ergo officium pertinet ad communionē ſanctorum univerſalem, non ad doctores in ſpecie. Percurramus reliqua. Adeoque, ait, extendit ſeſe, ut ad omnes »
alias res divinas in verbo Dei revelatas, »
ita etiam ad omnes partes officii mini- »
ſtrorum Eccleſiæ. Hoc concedimus, eo »
ſenſu, ut Doctorum ſit, hæc omnia *ſuos diſcipulos in ſchola* docere; non autem miniſtros in Eccleſia, quibus muneris ſui ratio cōſtare debet antequam ad miniſterium admittantur. At ex altera parte, miniſtrorum Eccleſiæ eſt, ut omnis ſtatus homines, ita & Profeſſores ſui
mune-

muneris admonere, ſi eo abuti, ac etiam de eo edocere, ſi perperam de eo ſentire comperiantur. Ne jam addam, Paræo auctore, in Rom.13. Dub.5. præcognito 3, poteſtatem eccleſiaſticam ſub ſe habere ſcholaſticam, ut Politica ſub ſe habet oeconomicam. Genevenſes item Ord. Eccl. can.65. Profeſſionem Theologicam gradum *proximum ad Miniſterium* appellare, atque ita ei ſubordinare. Quæ multum abludunt à ſpeculationibus Vedelianis. Pergamus: Sed cum
" hoc, inquit, diſcrimine, quod quaſdam
" actiones paſtorum formaliter exercent,
" circa alias autem objective *tantum* ſe ha-
" bent. Reſp. Utrumque negamus, nec formaliter doctores exercent actiones paſtorum, ita enim vel ipſi paſtores eſſent, vel in alienum munus involarent, nec objectum eorum ſunt actiones paſtorum niſi eo ſenſu, quod ſtudioſos ſuos quid ſit muneris paſtorum doceant. at contra, objectum miniſtrorum eccleſiæ ſunt ut omnium aliorum Eccleſiæ membrorum, ita etiam Profeſſorum Theologiæ actiones, ac ipſa etiam eorum doctrina, cujus puritatem ab omnibus eccleſiæ membris exigunt. Per-
" git: Formaliter (exercent actiones pa-
" ſtorum) quo ad doctrinam verbi divini,
" & veram religionem, quam utrique te-
" nentur docere & tueri contra hæreticos

&

& alios errantes. Reſpond. Hoc non eſt formaliter exercere actiones paſtorum, niſi illa ſomnia fiant *in Eccleſia.* id enim illis proprium eſt. At docere verbum Dei *in ſchola*, doctorum eſt proprium; nec pertinet ad paſtores. Hæc ergo non ſunt formaliter idem. pergit: Item conſequenter, quoad judicium ferendum de rebus fidei, tum extra Synodum, tum in Synodis. Reſp. Judicium de rebus fidei extra Synodum omnibus fidelibus aliquo modo convenit, videlicet judicium diſcretivum. Hoc ergo doctoribus non eſt peculiare. Judicium in Synodo eis (ut & aliis) convenit, ſi eo vocentur, & ea poteſtas eis à Paſtoribus & Rectoribus Eccleſiæ concedatur. Quod factum quidem fuit ad tempus Synod. Dordr. ſecunda Anno 1578. art. 52. aut 6. (nam gemina illorum articulorum eſt inſcriptio) in ſequentibus vero Synodis antiquatum. In Dordr. autem ultima Poſt-act. ſeſſ. 174. N. 9. quæſitum, Annon conſultum ſit Profeſſores Theologiæ & regentes collegiorum Theologicorum in Synodis comparere, atque ibi rationem reddere doctrinæ ſuæ, & judicio Synodi ſubjici. de voto eorum deciſivo nihil. Quod iis competere reſpectu proprii muneris, & ex inſtitutione divina, prorſus negamus. Quin nec in Papatu (ubi magna doctorum eſt dignatio) hoc

unquam

unquam habuerunt, in quo Theologi
quidem, idque in ſeparatis conventibus,
quid ſit ipſorum ſententiæ de ſingulis re-
bus demonſtrant, Epiſcopi vero ſoli,
cumque his (ex peculiari indulto) pau-
ci quidam alii mitrati, definiendi pote-
» ſtatem obtinent. Ut ante Petrum Soave
» obſervavit Sleid. hiſt. l. 22. Atque hæc
» quidem ſunt in quibus Vedel. arbitratur
Profeſſores formaliter exercere actiones
» paſtorum. addit: Objective autem,
» quoad ſpecialem doctrinam de officio
» paſtorum. Ubi manifeſta contradictio
eſt. Qui enim formaliter actiones pa-
ſtorum exercet in doctrina verbi divini,
nulla ejus parte excepta, ſane formaliter
id facit in doctrina de officio paſtorum,
quæ ejus doctrinæ pars eſt. At Vedelius
hanc inter ea ponit, ad quæ Profeſſores
objective, & quidem objective *tantum*
(ut apparet ex ejus diſtributione) ſe ha-
beant. Id quod cum præcedentibus con-
» ſiſtere nullo modo poteſt. Nam, quam-
» vis (inquit deinde) ſi ad officium paſto-
» rum vocati non ſunt, haud habeant po-
» teſtatem concionandi, ſacramenta ad-
» miniſtrandi, diſciplinam Eccleſiaſticam
» exercendi, paſtores vocandi, leges fe-
rendi Eccleſiaſticas (hic eſt altera con-
tradictio. Nam inter officia paſtorum
recenſet poteſtatem leges ferendi eccle-
ſiaſticas, quā eis negatnrus eſt quæſt. 9.)
ta-

Digitized by Google

tamen docent ex verbo Dei, quam do- "
ctrinam populo annunciare debeant, &c. "
Reſp. docent hæc. ſed quos? an paſtores? non. Ii enim manum ferulæ illorum ſubduxerunt, ſed diſcipulos ſuos. Circa illos ergo tantum, proprie loquendo, etiam in hac parte objective verſantur.

Porro quod fatetur hic, paſtores vocandi penes Profeſſores facultatem non eſſe, id quale ſit, judicium fiat è praxi Profeſſorum Franequerenſium. Illi enim, & jus peremtorie examinandi candidatũ miniſterii ſibi ſumunt, ita ut examini illi teneantur acquieſcere Claſſes, neq; id repetere ipſis liceat: & provinciam verbum Dei prædicandi, ſacramenta adminiſtrandi, diſciplinam eccleſiaſticam exercendi eis Tradvnt, & rogãt omnes ut pro Vero Christi Ministro eum habeant. id porro ita explicat Vedel. (ſcripto quodã ſuo nondum edito) ut dicat eſſe Destinationem ad miniſterium, & Potesta- "
tem id exercendi, quando legitima ele- "
ctio & ordinatio eccleſiæ ſupervenerit. "
ſumma eſt: ab Academia miniſtros poteſtatem habere, ab eccleſia autem, quæ clauſis oculis judicium Academiæ ſequi tenetur, eis locum aſſignari in quo poteſtatem illam exerceant. Atque ita miniſterium eccleſiæ manifeſtò in gradum Academicũ transformatur. Pro hac uſurpatione adverſus Friſicam Synodum ma-

gno

Digitized by Google

gno hactenus fervore à Vedelio fruſtra dimicatum eſt. poſſent quæ utrimque ſuper ea agitata ſunt cum fructu prelo tradi, & certe lucem merentur ac memoriam. Sed de eo ſuo tempore diſpicietur. Reddit nunc ἀπόδοσιν, qua quanta ſimilitudo ſit inter Magiſtratus & Theolo-
,, giæ Doctores, ediſſerit. Similis, inquit,
,, eſt, utut longe excellentior, ratio Magi-
,, ſtratus quantum ad hoc attinet. Is e-
,, nim etiam circa actiones omnes paſto-
,, rum verſatur, partim formaliter, partim
,, objective, ſed cum hoc diſcrimine, quod
,, doctores eccleſiæ docendo in ſcholis vi-
,, va voce, & in eccleſia tota ſcriptis circa
,, eos verſantur, Magiſtratus autem ope-
,, rando, præcipiendo cum imperio ac po-
,, teſtate directiva & coactiva quoad ordi-
,, nem externum. Hæc Vedelius, in quibus largiter peccat. Primo quod Magiſtratum ait formaliter verſari circa quaſdam actiones paſtorum, quod ante refutavimus. 2. quod ait doctores Eccleſiæ docere in ſcholis. Falſum hoc. nec doctores Eccleſiæ qua tales in ſcholis, nec doctores ſcholæ in Eccleſia docent. 3. qnod dicat eos Eccleſiam totam ſcriptis docere, ratione proprii muneris videlicet. & hoc ante refellimus. 4. quod poteſtatem Magiſtratus hic reſtringit ad ordinem externum, qnem ante extendit ad omnes partes officii paſtorum: id

quod

quod à contradictione abſolvi non poteſt, nec ulla ejus ratio apparet. 5. quod in hiſce longe excellentiorem eſſe rationem Magiſtratus ait, quam doctorum. Cum tamen doctores dixerit agere, *docendo ex verbo Dei*, Magiſtratus autem poteſtate alia directiva & coactiva. Præfert ergo in rebus fidei & eccleſiaſticis gladium temporalem, qui ſolus Magiſtratui convenit, gladio ſpiritus, qui eſt verbum Dei, & coactionem doctrinæ anteponit. quæ & grandis in verbum Dei contumelia eſt, & Inquiſitorum in Papatu praxi non obſcure velificatur.

Poſtquam nullitatem opinionum ac rationum Vedelianarum oſtendimus, viciſſim paucas rationes, ob quas Doctores Theologiæ qua tales, & quales nunc ſunt, nominatim in noſtro Belgio, miniſtri eccleſiæ eſſe non videantur, afferemus:

Prima eſt; quia carent inſtitutione Chriſti. patet ex conſideratione locorum quæ pro illâ Vedelius attulit.

2. Quia carent vocatione Eccleſiaſtica; à Senatu enim Academico titulum, à Magiſtratu autem, & quidem ſolo vocationem accipiunt, in his inquam regionibus. Nam in Gallia auctoritate Synodi, conſentiente eccleſia cujus paſtores ſunt, vocantur, à concilio autem eccleſiaſtico & Academico examinantur, &

Pro-

Profeſſores renunciantur, ut patet in promotione Cl. Jo. Cameronis, cui interfuerunt, præter illuſtriſſ. Pleſſæum, *à concilio rogatum*, è claſſibus Andegavenſi, Turonenſi, Cænomanenſi, & vicinis provinciis paſtores undecim, vel duodecim, ſi Lud. Capellum, qui pariter Profeſſor erat, annnmeremus, Profeſſores autem duntaxat quinque, inter quos Burgerſdicius noſtras ὁ μακαρίτης. Prout hæc Diſputationi & prælectioni dicti Cameronis pro gradu doctoratus Salmurii habitis annexa leguntur. E quo tamen non ſequitur munus hoc in Galliis proprie Eccleſiaſticum cenſeri, ſed potius Eccleſiæ illic ſubordinari: quod non obſcure docent verba, quibus hæc
„ eccleſiarum in Galliâ reformatarum di-
„ ſciplinâ ſancita eſſe dicunt, ne Eccle-
„ ſia, cujus (inquiunt) ſeminarium eſt A-
„ cademia, detrimentum capiat.

3. Quia regimen eorum cum regimine eccleſiaſtico conſiſtere non poteſt. Eccleſia enim pœnis tantũ ſpiritualibus punit, doctores pœnis corporalibus; mulctis, carceribus, exiliis.

4. Quia promoventur & inaugurantur cæremoniis nec eccleſiaſticis, nec à Chriſto inſtitutis; pileo, annulo, libro clauſo & aperto, &c.

5. Quia ſplendore ſeculari utuntur, ut ſceptro argenteo, &c, quæ eccleſia-

ſtica

ſtica eſſe nemo ſanus dixerit.

6. Quia docent ex profeſſo lingua peregrina, & maximæ parti Eccleſiæ ignota. Quod in Eccleſia fieri prohibitum eſt. 1. Cor. 14.

7. Quia totis ducentis annis poſt natum Chriſtum, nec Academia nec Profeſſor Theologiæ inter Chriſtianos fuit. Primus enim eorum fuiſſe narratur Pantænus, qui profeſſionem Stoïcæ Philoſophiæ in ſchola Alexandrina ad Chriſtum converſus mutavit in profeſſionem theologiæ Chriſtianæ. Claruit autem ſub Antonino Caracalla & Septimio Severo. Si eccleſiaſticum fuiſſet hoc munus, & a Chriſto inſtitutum, non tamdiu in Eccleſia fuiſſet ignoratum neglectumve.

Atque hæc quidem de Profeſſoribus Theologiæ ſequuti filum Vedelianæ diſputationis diſſeruimus. Summa noſtræ ſententiæ hæc eſt: Ut ii qui in ſpem ſacroſancti miniſterii educantur, de rebus theologicis accurate edoceantur & neceſſarium, & juris divini eſſe; (id vero conſtat, variis modis poſſe fieri, diligenti & aſſidua lectione ſacræ ſcripturæ & bonorum auctorum, ſacrarum concionum frequentatione, miniſtrorum aliorumque doctorum virorum familiari inſtitutione. & hoc ſenſu non errant, qui ſcholarum theologicarum originem à

Pro-

Propheris, Chriſto, Apoſtolis deducunt) verum ut id fiat in Academia, & à profeſſore graduato, nec præceptū à Deo, nec tamen prohibitum eſſe, neque divinæ ſed humanæ eſſe ordinationis. hoc unum. Alterum eſt, non eſſe hoc munus eccleſiaſticum ſed ſcholaſticum, ut è præcedentibus cuivis liquere poteſt.

Addit Vedelius nonnihil de poteſtate ordinis & juriſdictionis, in hæc verba:
„ Vulgo diſtinguunt *officium paſtorum* in
„ poteſtatem ordinis & juriſdictionis. Il-
„ lam conſtat non habere Magiſtratum;
„ nec etiam hanc, quatenus conſiſtit in
„ cenſuris eccleſiaſticis, hoc eſt, retinendo
„ & remittendo peccata: ſed, quatenus
„ conſiſtit in exteriore regimine ſeu dire-
„ ctione ordinis externi & officii miniſtro-
„ rum. Hæc ille. In quibus diſerte profitetur, habere Magiſtratum *officium paſtorum*, quatenus conſiſtit in exteriore regimine, &c. quid audio? Magiſtratus habet officium paſtorum? ergo Magiſtratus paſtor eſt. Et ſane hoc ſequitur ex ipſius hypotheſi, qua ſtatuit Magiſtratus circa quaſdam actiones paſtorum verſari *formaliter*. In iis ergo *formaliter* habet officium paſtorum, ut hic ait, & conſequenter paſtor eſt. Hinc & iſta ſequuntur: Doctores quaſdam actiones Magiſtratuum exercent formaliter, ut

patet

patet in carceribus & exiliis, ergo doctores eo reſpectu formaliter ſunt Magiſtratus. iidem doctores formaliter quaſdam actiones paſtorum exercent (ut contendit Vedelius) ergo formaliter ſunt paſtores. Denique paſtores formaliter quaſdam actiones doctorum exercent, v. g. ſcripturam explicare, ergo paſtores formaliter doctores ſunt. Iidem paſtores (ſecundum Vedelianas rationes) formaliter quaſdam actiones Magiſtratus exercent, atque adeo officium Magiſtratus habent: ſi enim Magiſtratus habet officium paſtorum, nec tamen limites ſui officii excedit, paſtores qui idem habent, etiam officium Magiſtratus habere neceſſe eſt. En chaos inexplicabile, quo Magiſtratus, Profeſſor, Paſtor, Reſpublica, Eccleſia, ſchola ita inter ſe confunduntur, ut nec caput nec pes deinceps appareat. Sed ad rem ipſam accedendum eſt, id eſt ad Jeſuiticam hanc & Arminianam (ut apparebit) Vedelii diſtinctionem. de qua præſtat audire Cl. Voetium Diſp. 1. de poteſt. eccleſ. theſ. 8. Quod autem (inquit) Becanus (*Ieſuita*) in tractatu de primatu regio cum Canoniſtis & Pontificiis ſuis, & ex eo *Remonſtrantes* cap. citato diſtinguunt inter *juriſdictionem* internam & *externam:* & monent de hac ſola eſſe quæſtionem (ita & Vedelius) non de illâ,
 quam

,, quam ſcilicet una cum poteſtate regi-
,, minis utraque pars Eccleſiæ relinquat:
,, id quidem ad rem noſtram in Belgio
,, nihil facit. Nam diſtinctio illa (nota)
,, nec ſcripturis, nec ratione nititur, ſed
,, tantum ingreſſu & conſuetudine typhi
,, ſeculi. Et mox: Nemo etiam litem mo-
,, vet Magiſtratui de iis quæ ad exter-
,, num hominem ſpectant, & extrinſece
,, ſeu indirecte vocantur eccleſiaſtica.
,, Hæc omnia ſi juriſdictionem externam
,, concernunt, nihil ad nos, neque enim
,, ſunt in ſe & *formaliter* (attende) actus
,, juriſdictionis ſpiritualis & eccleſiaſticæ:
,, (neque ergo pars officii paſtorum.)
,, modo ſalvum maneat Eccleſiæ quod
,, illi proprium eſt regimen cum juriſdi-
,, ctione. Hæc Voetius. Quod porro
Vedelius, velut aliud agens (nam reve-
ra aliud agebat) de argumentis Bel-
larmini monet, nempe, ea ab a-
liis refutata eſſe, id ſuo loco & pre-
tio relinquimus. Progrediamur ad ſe-
quentia.

An

Quæstio XIIII.

An Magiſtratus habeat poteſtatem vocandi Paſtores ſeu Miniſtros Eccleſiæ.

QUum Vedelius dicit, Paſtores ſeu Miniſtros Eccleſiæ, utramque vocem idem ſignificare innuit. Quapropter, cum Doctores Theologiæ ſub Paſtorum nomine non comprehendi ipſe fateatur, ne ſub miniſtrorum quidem nomine eos comprehendi neceſſe eſt. quod tamen fecit Vedelius. Jam ad rem ipſam accedamus. Et, ne immoremur Bellarminianæ opinioni, ſententiam Vedelii conſideremus: "Nos, inquit ille, affirmamus. Adeoque è contrario hanc propoſitionem formamus: Vocatio Paſtorum pertinet ad poteſtatem Magiſtratus & formaliter & objective. Seu, clarius loquendo: Non ſoli Miniſtri & perſonæ Eccleſiaſticæ, ſed etiam Magiſtratus de jure divino poteſtatem habent vocandi Paſtores Eccleſiæ: inſuper quoque Magiſtratus officium eſt curam habere, ut ab ipſis miniſtris in vocatione paſtorum omnia recte fiant, & abuſus impedire imperio & poteſtate ſua. Ut paucis ad hæc reſpondeamus, concedimus vocationem pa-

ſtorum pertinere ad poteſtatem Magiſtratus *objective.* Negamus ad eam pertinere *formaliter.* Et ſic poſteriorem partem utriuſque propoſitionis Vedelianæ approbamus, priorem rejicimus. Videamus quomodo eam Vedelius ſtabiliat. Hæc, inquit, doctrina eſt totius
„ eccleſiæ Reformatæ. Audimus verba,
„ ſed ita falſa, ut affirmare audeamus, nullam nationem in qua religio reformata viget, confeſſione communi eccleſiarum ſuarum nomine edita id docere, ne unam quidem. Notavimus ad prolegomena omnium Confeſſionum articulos qui vel de miniſterio vel de Magiſtratu agunt. Evolvat illos Vedelius, &, ſi vel unum invenerit qui Magiſtratui jus aſſcribat formaliter vocandi miniſtros, manus dabimus. Addimus, nullum canonem eccleſiaſticum à ſynodo aliqua Nationali Fœderatatum Provinciarum conſtitutum hunc ordinem agnoſcere, ſed diverſum plane omnes. Quod ſi ordo ac praxis nonnullis in locis à generali ordine nonnihil abludat, ad hunc, quem omnes approbarunt, potius revocandus, quam huic vel opponendus vel anteponendus, vel denique pro communi totius Eccleſiæ Reformatæ ordine venditandus eſt. Audet tamen Vedelius ad confirmationem ſuæ propoſitionis afferre Conſtitutiones eccleſiaſticas

ſiaſticas ſynodi noviſſimæ Dordr. art.4.5. ad quos antequam accedamus, admonendus eſt periculoſiſſimæ oblivionis. meminiſſe enim debebat, ſe decretum quoddam ſynodi Doccumanæ eo nomine rejeciſſe, quod pro fundamento inter alia haberet ſynodum Dordrac. ann. 1618. 1619. quod adverſatur (inquit) majeſtati hujus Provinciæ: repugnat enim edicto Illuſtr. Ordd. Friſiæ, qui perduelles declararunt qui introducere id conantur in hanc provinciam. Hæc Vedel. reſponſ. ſua ad ſynod. Leovard. art. 10. totidem verbis. Ecce autem in eadem illa provincia idem Vedelius opinionis ſuæ fundamentum inter alia ponit hanc eandem ſynodum Dordracenam, atque ita ſua ſe ſententiâ majeſtatis ac perduellionis damnat. Utinam Vedel. reverentius de tanta eccleſiarum reformatarum panegyri, ſi pro orthodoxo haberi velit, ſibi ſentiendum ac loquendum cogitet, ac fervorem illum ſuum, per quem toties ſe ipſum ferit, ſuſpectum habere diſcat. Nunc ipſos articulos audiamus.

Art. 4. Legitima eorum qui necdum functi fuerunt miniſterio tam in urbibus quam in pagis, hiſce tribus vocatio continetur: Primo electione, quæ, prægreſſis precibus ac jejuniis, fiet per preſbyterium ac diaconos, communicato

,, cum Chriſtianis ejus loci Magiſtratibus
conſilio, ac præſcio vel approbante claſ-
,, ſe, ubicunque id ipſum fieri aſſolet. Se-
,, cundo, examine doctrinæ ac vitæ, quod
,, penes claſſem erit, una aſſiſtentibus de-
,, putatis ſynodi, aut eorum nonnullis.
Tertio, approbatione Magiſtratus, ac
,, deinde, reformatæ ibidē Eccleſiæ mem-
,, brorum, poſtquam miniſtri nomine dua-
,, rum intervallo hebdomadarum coram
Eccleſia promulgato, nullum obvenerit
,, impedimentum. Denique confirmatio-
,, ne publica in facie Eccleſiæ, quæ cum
,, decenti ſtipulatione ac interrogatis, ad-
,, hortatione, precibus, & manuum im-
poſitione, ab eccleſiaſte confirmationem
,, peragente, aut (ubi plures adſunt mi-
,, niſtri) alio quopiam ex illis, conſumma-
,, bitur, juxta præſcriptam huic negocio
formulam. Fas erit nihilominus, ma-
,, nuum impoſitionem fieri in ipſa claſſe, ſi
,, is qui ad miniſterium provehetur ad ec-
,, cleſias ſub cruce mittendus ſit.

,, Art. 5. Quod ad eos miniſtros attinet,
qui miniſterio dudum fungentes, ad a-
,, liam vocantur Eccleſiam, eorum voca-
,, tio dicto modo, communicato, ut ante,
,, conſilio, fiet, tam in oppidis quam in
,, pagis, à presbyterio & diaconis, con-
ſulta aut approbante claſſe. Ubi exhi-
,, bebunt vocati teſtimonia Eccleſiaſtica
,, ac proba, cum vitæ, tum doctrinæ; at-

que

que ita, à Magiſtratu loci approbati, ec- "
cleſiæque per duas hebdomadas, ut & "
ante dictum, propoſiti, præcedentibus "
ſtipulationibus ac precibus confirma- "
buntur. Inviolato ac ſalvo remanente "
in iis quæ dicta ſunt, unicuique com- "
petente ſibi jure præſentandi, aliove "
quocunque, quatenus id cum ædifica- "
tione ac citra noxam Eccleſiæ beneque "
conſtituti ordinis eccleſiaſtici poterit u- "
ſurpari; cujus Magiſtratibus ſupremis; "
itemque provincialibus ſynodis accura- "
tam rationem habere placeat, ac ad bo- "
num eccleſiæ eum quem neceſſitas exigit "
ordinem ſtatuere. "

Hactenus canones illius ſynodi. quibus conſentiunt canones reliquarum ſynodorum nationalium reformati Belgii: Emdanæ art. 13. 14. Dordracenæ primæ art. 12. 27. ſecundæ art. 4. 12. Middelburgenſis art. 4. 15. 17. Hagienſis art. 4. 5. 20. 22.

In quibus articulis formalem vocationem paſtorum Magiſtratui tribui, aperte nego. Nam Electio tribuitur preſbyterio, examen claſſi & deputatis ſynodi, Approbatio Magiſtratui & membris eccleſiæ, confirmatio iterum ad miniſtrum ſpectat. Audi quæſo Cl. Voetium de Poteſt. eccl. Diſp. 3. theſ. 2. ad Quæſtionem 17. An penes ipſum (Ma- "
giſtratum) ſit jus eligendi Miniſtros "

preſbyteros, &c. Reſp. Neg. cum communi (attende Vedeli) antiquæ & hodiernæ Eccleſiæ conſenſu. Atteſtantibus etiam Juriſconſultis ac Politicis, tum noſtris, ut Pleſſæo, Juſtello, Marnixio S. Aldegondio, tum Pontificiis, Thuano, Petro Matthæo, &c. Sed duo ſunt effugia per quæ ſe evadere poſſe ſperat Vedelius, reſponſione ad Notas Triglandii in hunc articulum. primum eſt, quod art. 4. dicatur: Legitima eorum qui nondum functi ſunt miniſterio, hiſce ritibus *vocatio* continetur: primo *Electione*, &c. quaſi inde ſequatur, quæcunque ibi ſequuntur eſſe *formalem vocationem*. Quod haud ita eſt. Sed primo ea vox latiſſime ſumpta tam *formalem* vocationem, quæ eſt *Electio*, quam antecedentia & conſequentia comprehendit, poſtea formalis vocatio, quæ eſt electio, clare & diſtincte exprimitur. Exemplo ſimili è ſacris literis rem illuſtrabo. Matth. 1. 88. dicitur: Τοῦ δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἡ γέννησις οὕτως ἦν, ac poſtea narratur, non modo Chriſti γέννησις, ſed & ſuſpicio Ioſephi, apparitio angeli, &c. Quæ ſiquis ideo formalem γέννησιν Chriſti eſſe arbitraretur, magnas nugas ageret. Nam prius voce γεννήσεως & ipſa γέννησις formalis, & antecedentia eam ac conſequentia comprehenduntur, poſtea formalis γέννησις clare & diſtincte exprimitur.

tur. Ita & hic ſit in vocabulo vocationis.

Quod autem vocatio formalis ſit ſola electio, docebit Vedelium Ameſius, de Caſibus conſcientiæ lib. 4. c.25. quæſt. 6. th.28. ea ita hâbet: Quis eſt actus in quo *proprie* conſiſtit vocatio? Reſpondet: Vocatio proprie & *eſſentialiter* conſiſtit in electione. Nam 1. voluntaria illa relatio, quæ inter miniſtrum & Eccleſiam intercedit non poteſt aliud fundamentum habere quam voluntariam electionem. 2. Eccleſia libera, libertate ſalvâ non poteſt alicui ſubjici niſi per liberam electionem. 3. Omnes alii actus qui pertinent ad vocationem, vel tendunt ad electionem, ut nominatio, præſentatio, examinatio, vel ab electione pendent, ut ordinatio, inſtitutio vel immiſſio, quæ nihil aliud eſt quam electionis complementum, & declaratio ſolennis, ut coronatio regis, aut inauguratio magiſtratus, atque adeo pro electione aut vocatione *metonymice* ſolet uſurpari. Hactenus Ameſius. Eandem vero mentem eſſe art.4. Canonum ſynodicorum, vel ex eo patet, quod art. 5. quæ præcedente articulo *electio* dicta fuit, *vocatio* nominatur.

Alterum effugium Vedelii eſt, quod *ſuffragium, confirmatio, conſenſus, approbatio, electio, vocatio*, ſæpe ab aucto-

„ ribus pro eodem ſumantur. ſufficere ipſi,
„ quo tandem nomine jus Magiſtratus vo-
„ cetur, modo de re conſtet. Reſp. 1. qui
hæc omnia, & eorum ſingula vocarit *vocationem formalem*, neminem adhuc vidi. Hoc ergo Vedelio probandum erat. 2. Siquis tantæ confuſionis, ante Vedelium, auctor fuit (quod non credo) non is à Vedelio ſequendus, ſed chaos illud extricandum erat, præſertim cum habeat exemplum canonum noſtrorum, in quibus omnia accurate diſtinguuntur. 3. accipimus conditionem Vedelii, &, ſi de re conſtet, id eſt, ſi ejus ſententia cum doctrina eccleſiæ reformatæ canonibus noſtris expreſſa, conſentiat, ἀκυρολογίαν phraſeos ei condonabimus. Hoc ergo inveſtigemus. Dicit Vedel. quæſt. 3. Ut
„ paſtores habent jus vocandi alios paſto-
„ res, ITA Magiſtratus una cum mini-
„ ſtris OMNE ILLVD JVS habere. Hoc
profecto non convenit cum canonibus ſynodicis, qui presbyterio eligendi, Magiſtratui approbandi poteſtatem faciunt. Qui ſunt actus plane diverſi. neque juvat Vedelium, quod conſilium inſtituendæ vocationis cũ Magiſtratu communicari vult canon 4. neque enim ea communicatio, eſt vocatio formalis, ſed aliquid eam præcedens, ut conſideranti patet.

Vere autem ſententia Vedelii convenit cum artic. 1. Ordin. Eccleſ. à Politicis

non-

nonnullis & eccleſiaſticis, juſſu Ordinum Hollandiæ, Anno 1591. delineati quidem, ſed ab Eccleſiis ejus provinciæ repudiati, nedum ut communiter receptus ſit. Eſt autem hujuſmodi.

"Primo, ſiquando in urbibus miniſter quiſpiam verbi divini deſiderabitur, conſules, regentes, & tribuni plebis ejuſdem urbis delegabunt quatuor viros, quos ad eam rem omnium aptiſſimos judicabunt. Mandabunt autem Coſſ. regentes, & tribuni plebis præfati miniſtris verbi divini & ſenioribus Eccleſiæ in iiſdem urbibus, ut & ipſi è ſuis viros quatuor delegent, qui conjunctim poſt preces & indagationem ab ipſis circa hoc negocium faciendam, procedent ad electionem ejuſmodi perſonæ vel perſonarum, quales ipſi ad prædictum miniſterium neceſſarias, utiles, ac idoneas judicabunt. Eam ſuam electionem proponent collegio dictorum Coſſ. regentium, & tribb. pleb. Quibus ſi electio facta placuerit, electus, juxta formulam ſubſequentem, examinabitur, &, ſi deprehendatur aptus, & ſufficientibus à Deo donis inſtructus; Eccleſiæ in templo proponetur. Quod ſi intra decimumquartum diem nemo ſe obtulerit, qui rationes proferre norit, cur eum recipi non oporteat, ad dictum miniſteriũ per manuum impoſitionem, aut aliter

„ juxta conſuetudinem uniuſcujuſque Ec-
„ cleſiæ, recipietur, & in functione dicti
„ muneris conſtituetur. Sin autem dicti
„ Coſſ. regentes, & tribb. pleb. declarent
„ electionem prædictam ſibi non placere,
„ delegati prædicti, eo quem recenſuimus
„ modo, ad novam electionem aliorum
„ progredientur.

Conſideret Vedelius, quid in illo articulo à ſua ſententia diſcrepet: nam ego nihil invenio. Et ſciat, hujus ordinis auctores inter alios fuiſſe Joh. ab Oldenbarnevelt, Joh. Utenbogardum, Jac. Arminium. fateor etiam nonnullos Orthodoxos interfuiſſe (& tunc omnes pro orthodoxis habebantur) ſed quinā præcipui auctores fuerint, facile ex iis quæ ſubſequuta ſunt enituit. Cum enim ab Arminianis in Provincia Ultrajectina Anno 1551, receptus fuiſſet iſte ordo, ac etiam Hollandis cœpiſſet obtrudi, urbes Hollandiæ quæ puritatem doctrinæ ſervabant, puta, Amſtelodamum, Enchuſa, Edamum, Purmerenda, publico edito ſcripto, adverſus eum proteſtatæ ſunt. Anno 1617. Eccleſia quoque Harlemenſis ei ſe oppoſuit, in qua magnarum turbarum cauſa fuit. Obſervatu porro dignum, auctores ejus ordinis, privatā ſuam tantummodo ſententiam eo contineri, ad illius calcem teſtari: quem tamen Vedelius quaſi publicam totius Eccleſiæ do-

doctrinam nobis venditare vult.

E dictis apparet, non eſſe quod uſque adeo indignetur Vedelius, ſiquando cum Utenbogardo hac in parte ſentire dicatur. Nam (ne hoc Vedelius ignoret) non una, ſed tres ſententiæ fuerunt Utenbogardi circa hoc argumentum: prima orthodoxa, quæ continetur concione ejus edita à Ruardo Acronio Anno 1610. altera erronea, quam tradit libro de poteſtate Magiſtratus, quæque continetur ordine eccleſiaſtico ab Ordinibus Trajectinæ provinciæ ſancito Anno 1590. eam Vedelius à ſe amolitur, licet non raro in eam incidat. Tertia item erronea, quæ continetur formula ordinis concinnati Anno 1591. hanc manifeſte Vedelius propugnat, ut vidimus. Pergamus in Vedelio.

Quemadmodum, inquit, etiam ex praxi eccleſiarum reformatarum patet. Unde in celeberrima & optime conſtituta Eccleſia Genevenſi, quando paſtori ſucceſſor dandus videtur, ſenatus eccleſiaſticus, antequam ad nominationem procedat, petit facultatem à Magiſtratu, quam ſi non impetrat, ſuſpendit aut plane omittit nominationem, ſi impetrat, progreditur, & tunc Magiſtratui proponit, qui ipſi maxime placuiſſet; qui ſi approbetur Magiſtratui, res rata eſt, ſalvo jure totius Eccleſiæ; ſi diſplicet Magiſtra-

„ giſtratui, alius eligitur. Examinemus hæc. Praxin eccleſiarum reformatarum convenire cum theoremate Vedeliano, prorſus negamus. Omnes enim Eccleſiæ Belgicæ accurate ſecundum ordinem à nationalibus ſynodis ſancitum conſtitutæ è diametro repugnant. Probet ergo Vedelius id quod tam confidenter dicit. Quod Genevenſem Eccleſiam celeberrimam vocat & optime conſtitutam, id libentes & gratis animis agnoſcimus, ſed abſque aliarum Eccleſiarum injuria id dictum accipimus. Negamus enim noſtras eccleſias, utut nonnullæ ex iis ſint minus celebres, tamen, quoad formam vocandi (quæ prorſus eadem eſt ut videbimus) deterius conſtitutas eſſe. Porro, totum quod hic de ea narrat Vedelius etiam in noſtris Eccleſiis fit. Sed nihil ad formalem vocationem, quam apparet ex Vedelii verbis in Genevenſi Eccleſia Magiſtratum non habere. Duo tamen in Vedelii verbis explicanda ſunt: primum, cum Eccleſia Genevenſis à Magiſtratu impetravit facultatem nominandi, *progredi* eam, non ſolum ad nominationem, ſed ad ipſam electionem. Secundum, ſi electio *diſplicet* Magiſtratui, alium eligi, id intelligi, ſi diſplicet ob juſtas rationes. Nam, ſi pro ratione voluntas eſt, jam tota vocatio re ipſa Eccleſiæ eripitur, & tantum umbra ejus

manet. Tamdiu enim Magiſtratus electum ſibi diſplicere dicturus eſt, quoad electus fuerit quem ipſe vult eligi. quicquid ergo hac in parte eccleſia faceret feciſſetve, eſſet merum ludibrium, Magiſtratus ſolus pro poteſtate & libitu quem vellet miniſtrum faceret. Jam, ut totus orbis agnoſcat ordinem Eccleſiæ Genevenſis cum noſtro convenire, & à Vedeliana miſtura diſſentire, audiamus ipſum Decretum Ampliſſ. Senatus Genevenſis, ex Ordine ejus urbis eccleſiaſtico, Anno 1578. gallica lingua edito latine converſum. Ubi poſtquam art. 3. 4. 5. 6. 7. 8. de examine doctrinæ ac vitæ, quod totum miniſtris tranſſcribitur, eſt actum, ſequitur art. 9.

Quantum ad modum conſtituendi " Paſtores tam in urbe quam in paroeciis " ab ea dependentibus, comperimus opti- " mum eſſe ſequi ordinem Eccleſiæ vete- " ris, qui continet veram eorum praxin " quæ ſuper hoc negocio à ſcriptura edo- " cemur: Videlicet: ut miniſtri primum " eligant inter ſeſe eum quem exiſtima- " bunt idoneum miniſterio ſecum obeun- " do; procedentes in eo juxta ſupra me- " moratum examen. Deinde, uti rem ſi- " gnificent noſtro minori conſilio, quod " deputabit quoſdam è ſuo cœtu, auditu- " ros eum de quo agitur tractantem de " ſacra ſcriptura in conſeſſu Miniſtrorum, "

„ deque eo ad Senatum relaturos. quod ſi
„ ſenatus non acquieverit, procedetur ad
„ novam electionem: ſin acquieverit, pro-
„ cedetur ad tertium punctum vocationis
„ miniſtri, prout ſequitur. Sequitur autem (art. 10. & 11.) quomodo electi nomen ſit populo per omnia urbis templa promulgandum, ut ſiquis interceſſerit, ac is qui electus erat inhabilis fuerit inventus, nova electio inſtituatur, ſin nemo comparuerit, ut Dominica proxima à miniſtro qui concionem habet coram Eccleſia in miniſterio confirmetur. In quibus omnibus nihil invenio quod abludat à more Eccleſiarum noſtrarum, nam quod is qui adverſus electionem obnunciare cupit, id ad unum è ſyndicis deferre jubeatur, de iis ſyndicis intelligendum non dubito, qui in ſeniores eccleſiæ ſunt electi, & ea duntaxat qualitate conſiſtorio interſunt, ut expreſſum eſt. art. 69. 70. porro per *minus conſilium*, ad quod de vocatione paſtoris ſit referendum, intelligitur (niſi fallor) ſanctius conſilium, è paucoribus conſtans; nam in fronte ipſius Decreti Conſilium minus, conſilio majori, id eſt, (ut arbitror) frequentiori, ordine præponitur. art. 14. nominantur, minus, majus, & generale conſilium. Quæro nunc è Vedelio, ubi in omnibus hiſce canonibus formalis vocatio Magiſtratui detur? quærat ætatem,

tem, nunquam inveniet.

Citat poſtea Wernerum Helmichium: in cujus verbis licet nonnulla excuti poſſent, tamen nihil ea faciunt ad rhombum Vedelii, cum nihil de formali vocatione Magiſtratui danda, vel per ſomnium optimus ille vir cogitarit, imo, quod eam approbare non poſſet, Trajecto pulſus fuerit. Citat & Sibrandum Lubbertum contra Grotium p. 172. cujus verba poſtquam citaverimus, totum orbem judicem faciemus, nobiſne an Vedelio faveant. Sunt autem iſta.

" Nos ultro confitemur, in Chriſtiana " & libera Republ. ad concordiam & tran- " quillitatem conſervandam neceſſarium " eſſe, ut Eccleſiæ ſua relinquatur libertas, " & Magiſtratui ſua vindicetur auctoritas. " Libertas Eccleſiæ maxime in eo conſi- " ſtit, ut *eligat* tales miniſtros quales ipſa " deſiderat. Magiſtratus vero auctoritas " poſtulat, ut illi quos Eccleſia elegit non " admittantur niſi ab ipſo *approbati*. Tan- " tum annoto, Magiſtratum in hac appro- " batione ſive confirmatione non debere " protervire, neque quem Eccleſia elegit " rejicere, niſi ob juſtam & evidentem " cauſam. Hæc Sibrandus. Quid autem in iis pro formali vocatione Vedeliana? quid non contra eam? pergit Vedelius:

" Competit autem Magiſtratui jus vo- " candi miniſtros non ex privilegio humano,

no, ſpeciatim pontificum, ſive eo quod jus patronatus vocant, ſive alio aliquo ſimili privilegio; ſed de jure divino, & quidem duplici nomine, tum ratione perſonæ, tum præcipue ratione muneris, ut mox patebit, &c. quemadmodum recte obſervat Cl. Rivetus p. 267. Ubi iterum obſerva, vocem miniſtrorum pro paſtoribus, ut æqui valentem, ſumi ſequitur enim: Quod de paſtoribus diximus, &c. Unde quid ſequatur ad principium hujus quæſtionis notavimus. Deinde, id quod Vedelius Magiſtratui ait competere jure divino, non fuiſſe probandum auctoritate humana, ſed prolatis divini juris tabulis. Id quia non potuit, Cl. Riveti umbone ſe munivit. Fruſtra. Neque enim formalis vocationis ibi meminit Rivetus, neque eam alibi Magiſtratui tribuit, ſed totam poteſtatem ejus circa res eccleſiaſticas objectivam eſſe vult, hiſce verbis p. 261.

Quam igitur juriſdictionis poteſtatem in Eccleſiaſticis & ſpiritualibus rebus ei aſſcribamus, videndum eſt: eam ſpiritualem & eccleſiaſticam ſiquis dicat, id ita intelligi debet, VT NON FORMALITER ut ita dicam, ſpiritualis & eccleſiaſtica dicatur, eſt enim pars poteſtatis politicæ; SED OBIECTIVE ita appelletur, quia exercetur circa res eccleſiaſticas & ſpirituales, tenditque ad eas

aſſe-

aſſerendas & conſervandas. & mox eo- "
dem loco, recenſens ea quæ ad hanc po-
teſtatem pertinent, inter alia eo refert:
miniſtros eccleſiæ cum populo & ſyne- "
drio eccl. conſtituere. Non tribuit ergo "
hoc Magiſtratui formaliter ſed objective.
Id quod directe eſt contra Vedelium.
Cujus ſequentia videamus: Quod de "
paſtoribus, inquit, diximus, etiam de ſe- "
niorum vocatione eſſe intelligendum, ait "
Pet. Martyr in 1. Sam. c. 8. dicens eo ſen- "
ſu: *Seniorum conſtitutionem eſſe de jure* "
à Magiſtratu. Vult ergo Vedelius etiam "
Seniores eccleſiæ formaliter à Magiſtratu vocari, idque ei competere jure divino. Ubi ego iterum, cedò, inquam, tabulas juris divini. Neque enim hic valet τὸ, αὐτὸς ἔφα. *Ad legem & teſtimonium*. Ieſ. 8. 20. ſed non potes, ideo humano præſidio te munis, id eſt, auctoritate Martyris. Cui ſi comperiatis id quod non dixit attribuere, quid obtendes? Nego ergo verba Martyris abs te citata in 1. Sam. c. 8. inveniri. Sed iſta:
Eccleſia habet ſeniores, qui curare de- "
bent, quo ordine omnia fieri debeant. "
Ut autem fiant, Magiſtratus debet pro- "
videre. Hoccine eſt, *conſtitutionem ſe-* "
niorum de jure eſſe à Magiſtratu? ut tu conſpicuis characteribus excudendum curaſti? minime gentium. Nam, nec verba eadem ſunt, nec ſenſum talem ullo mo-

lo modo verba Martyris patiuntur. Si enim illud, *ut autem fiant*, intelligis de ſenioribus, q. d., *ut autem ſeniores fiant* Magiſtratus debet providere, quid aliud quam cura objectiva circa creationem ſeniorum ei tribuitur? ſin ea verba (& hic verus ſenſus eſt) de rebus à ſenioribus conſtitutis accipias, hæc mens verborum Martyris eſt: ſeniorum eſſe conſtituere quid in eccleſia & religione fieri debeat, Magiſtratus autem eſſe ut ea fiant providere, id eſt, ut conſtitutionibus eccleſiaſticis obtemperetur curare. quid hæc ad formalem vocationem ſeniorum? Quæro jam ex Vedelio, an etiam hæc doctrina ſit totius eccleſiæ reformatæ? an expreſſa ſit canonibus eccleſiaſticis, præſertim ſynodi Dordracenæ? an ex praxi Eccleſiarum Reformatarum ea pateat? hæc affirmare cogitur. Nam de vocatione formali paſtorum ea omnia dixit, & quod de illis dixit, etiam de ſeniorum vocatione eſſe intelligendum hic ait. Probatio ergo tantæ rei vel ex confeſſionibus, vel ex Canonibus eccleſiaſticis, vel ex praxi omnium Eccleſiarum Reformatarum Vedelio incumbet. Quam cũ præſtare non poſſit, nos adducemus Canones quoſdam è quibus res tota dilucidior erit.

Ordine eccleſiaſtico ſynodi Dordrac. primæ art. 12. hæc leguntur:

Ius

Ius nominandi ſeniores erit penes presbyterium. Ita ut, pro commoditate eccleſiæ cujuſque, presbyterio liberum ſit, aut ſimplicem numerum tot ſeniorũ quot requiruntur Eccleſiæ proponere, uti admittantur (niſi quis quod opponeret haberet) aut duplicem numerum, è quo, poſt octidui probationem, ſemis eligetur: qui electus per alterum octiduum Eccleſiæ proponetur, antequam in ſuo miniſterio confirmetur. Qui modus etiam in electione diaconorum obſervabitur. Synod. Middelb. art. 15.

Seniores judicio conſiſtorii & diaconorum eligentur. Et prout unicuique Eccleſiæ commodum eſt, arbitrarium erit tot quot deſiderantur Eccleſiæ proponere, ut ab ea (niſi quid impedimenti intercedat) approbentur, & cum publicis precibus confirmentur: aut numerum geminum, ut ejus ſemis ab Eccleſia approbatus, eodem modo in ſua functione confirmetur.]

Eadem ſuper hoc negocio decreverunt ſynod. Hag. art. 20. & Dordr. ultima art. 22. in quibus nulla Magiſtratus mentio. Duplex autem modus eligendi Seniores traditur: prior, ut ea abſolute à] presbyterio fiat, ac Eccleſiæ manifeſtetur, præfixo termino, intra quem qui quid adverſus electionẽ habeat id teneatur proferre. qui mos in noſtratibus

ac

ac plurimis Belgii Eccleſiis viget; alter, ut duplex numerus à conſiſtorio nominetur, & ſemis à tota eccleſia, id eſt, ab omnibus ejus membris, ſexus quidem virilis (nam fœminæ abhoc actu excluduntur) eligatur. qui mos apud pauciores eccleſias in uſu eſt. Sed neutribi Magiſtratus auctoritas intervenit. officii, inquam, ratione: nam poteſt fieri ut in eo ſint Eccleſiæ membra, qui (juxta poſteriorem eligendi rationem) votum ſuum quoque habebunt. Sed inde non magis ſequitur, Seniorum conſtitutionem eſſe de jure à Magiſtratu, quam à quovis infimi ordinis plebeio, ut conſideranti clarum eſt.

Videamus jam, cuinam tandem Ordini eccleſiaſtico hæc Vedelii aſſertio congruat. Is eſt ordo ille, à nulla Reformata Eccleſiæ, ſed à ſolis Arminianis receptus, cujus ante meminimus. Is art. 11. ita ſancit:

» Seniores ac diaconi quotannis conſti-
» tuentur eo qui ſequitur modo: Nimi-
» rum, ut in oppidis eodem pacto quo
» ſupra art. 1. dictum eſt, Coſſ. regentes,
» & tribb. pleb. quatuor viros quos ad id
» negocii aptiſſimos eſſe judicant, dele-
» gent, ac porro miniſtris Eccleſiæ & ſe-
» nioribus illius loci præcipiant, ut etiam
» è ſuis quatuor viros delegent, qui con-
» junctim eligent tertiam partem amplius,

è pro-

è probatiſſimis, Chriſtianæ Reformatæ religioni addictis, in ſeniores & Diaconos, quam conſtitutio Eccleſiæ requiret. E quibus dicti Coſſ. Regentes, & tribb. pleb. numerum neceſſarium eligent, qui deinceps in eccleſia, pro ejus conſuetudine, cum populo proponent. Et, ſi contra eos ſpacio quatuordecim dierum non fuerit interceſſum, in munere ſuo ita conſtituentur ut ſupra de miniſtris dictum eſt, &c. ""

Hic, Vedeli, vere eſt electio ſeniorum formalis penes Magiſtratum. Hic clare Seniorum conſtitutio de jure ab illo eſſe cenſetur. Habes ergo canonem tibi faventem, ſed Arminianū. Orthodoxum autem nullum habes. Pergis;

"Ubi etiam obſervandum quod Clariſſ. Walæus monet p. 173, non ſolum ad Magiſtratus ſummos pertinere jus vocandi paſtores; Sed etiam Magiſtratum ſubalternum ſeu inferiorem, tanquam principale membrum cujuſque eccleſiæ, in ea re eſſe agnoſcendum, quamvis lege ſpeciali ſummi Magiſtratus ad eam rem auctoritatem non accepiſſet." Ad quæ verba (quæ in Belgica editione reperiuntur pag. 161.) hæc reſpondemus: 1. Illa verba: *non ſolum ad Magiſtratus ſummos pertinere jus vocandi paſtores,* non eſſe Walæi ſed Vedelii. 2. non dicere Walæum, Magiſtratum ſubalternum

num ſeu inferiorem, eſſe *principale membrum cujuſque Eccleſiæ*, ſed *membrum quoddam eximium. Een voornemen lit.* non autem, *het voorneemſte lit.* 3. Magiſtratum cujuſque loci *agnoſcendum eſſe* in negocio vocationis paſtorum, longe eſſe aliud, quam *ei formalem vocationem dandam eſſe*. Quod cùm Walæus non dicat, nihil Vedelium juvat. 4. patentem hic eſſe contradictionem Vedelii, qui in prolegomenis quæcunque hic à ſe dicuntur, de Magiſtratu *ſummo* accipienda eſſe ait, hic vero etiam inferiori Magiſtratui ſuas in hoc negocio partes aſſignat, & quidem excluſa lege ſpeciali Magiſtratus ſummi. Quæ duo nunquam conciliabit. Quæcunque porro ex Leone Papa affert, licet illum teſtem repudiare poſſemus, tamen ea approbamus, & dicimus contra Vedelium eſſe. Verba ejus ſunt Epiſtol. 87. Expectanda ſunt vota civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, ELECTIO CLERICORVM. Audiu Vedeli? item: Teneatur honoratorum teſtimonium, ſubſcriptio clericorum, ordinis conſenſus ac plebis. Aliter fieri nulla ratio ſinit. Hæc omnia nihil contra nos.

Poſterius membrum propoſitionis Vedelianæ, nempe: Vocationem paſtorum pertinere ad Magiſtratum etiam objective, ſi tollatur illud *etiam*, approbamus,

bamus. Ideo non omnibus quibus utitur teſtimoniis immorabimur: quædam tamen conſiderationem merentur. ac primum quidem è Synopſi Leyd. Diſp. L. th. 47. Ubi dicitur, Magiſtratum, ad conferenda Eccleſiæ munera ſua, non ſolum interceſſione, ſed etiam auctoritate ſua uti poſſe, & corruptelas impedire aut corrigere, ſiquæ civili animadverſione dignæ interveniant. Hic ea verba, *ad conferenda Eccleſiæ munera ſua*, benigne interpretanda, ac ſi diceretur, *circa collationem illorum munerum*, alioquin hic non de objectivâ cura, quam ſolum hinc probare vult Vedelius, ſed de formali collatione ipſorum munerum agi videretur. Quanquam *collatio* etiam laxam ſignificationẽ habet, pro nudo jure præſentandi, unde *collatores* in papatu, ac etiamnum (tolerante id, non approbante eccleſia) quibuſdam locis inter nos. Verum eo reſpexiſſe D. D. Profeſſ. Leydd. non puto. Alterum, ex eadem Diſp. theſ. 52. ubi dicitur, Magiſtratum, tanquam quarti præcepti cuſtodem, *procurare* debere ut viri idonei *per presbyterium*, accedente tum Imprimis ipſius, tum totius quoque Eccleſiæ conſenſu ac ſuffragio, ad munus paſtorale legitime vocentur. Ubi τὸ Imprimis, quod Vedel. majuſculo charactere exprimi curavit, non reſpicit vocatio-
 nem,

nem, quaſi conſenſus Magiſtratus ea prior ſit, ſed reſpicit conſenſum totius eccleſiæ. Eum enim antecedit approbatio Magiſtratus. Itaque hic eſt ordo in illa theſi: Magiſtratus *procurat* (cura hæc objectiva eſt) ut viri idonei *per presbyterium* legitime *vocentur*, *accedente* tum imprimis ſuo, tum totius eccleſiæ *conſenſu*. Ubi obſerva, miniſtros per presbyterium *vocari*, conſenſum & ſuffragium Magiſtratus &c. *accedere*. Itaque conſenſus Magiſtratus non eſt ipſa vocatio. Tertium Teſtimonium eſt Ameſii Caſ. Conſc. p. 65. de quo ſic Vedelius:
„ Summa; Cura, ut omnia recte fiant in
„ vocatione ſeu electione paſtorum, per-
„ tinet ad Magiſtratum, ait rectiſſime A-
„ meſius &c. Rectiſſime, fateor, ſed multa præceſſerunt de vocatione formali, quæ te minus recte hac in parte ſentire evincant. Ponam locum integrum, qui eſt l. 4. cap. 25. Quæſt. 5. theſ. 23. & ſeqq.
„ Quæſtio quinta: Penes quos eſt jus &
„ poteſtas miniſtros vocandi?
„ Reſp. Summum jus vocationis eſt pe-
„ nes Chriſtum ſolum, qui eſt eccleſiæ ca-
„ put, & miniſterii auctor, ac Dominus
„ miniſtrorum.
„ 2. Ius delegatum non poteſt proprie
„ eſſe vel Epiſcoporum dioeceſanorum,
„ vel patronorum, vel (attende) Magiſtra-
„ tuum, qua ſunt tales: quia Chriſtus, qui
miniſte-

miniſterium inſtituit, de iſtis ordinibus nihil ſingulare præſcripſit, nihil novi juris ipſis communicavit, & eccleſiam ſine illis optime ordinatam reliquit.

3. Ius delegatum eſt penes Eccleſiam illam totam, cui miniſter vocandus debet inſervire. Nam 1. Miniſtri dati ſunt eccleſiæ a Chriſto, ut eadem ordinaria & certa ratione, poſſint ab omni eccleſia procurari. Sed ſi ab aliis penderet vocatio, Eccleſia ſæpe deſtitueretur certa ratione miniſtros ſibi procurandi, & proinde, talis eſſet à Chriſto inſtituta, quæ non eſſet ſibimet ſufficiens in ſe ipſa. 2. Si penes alios homines eſſet jus vocandi, tum Eccleſia non immediate acciperet miniſtros à Chriſto, ſed ab illis quorum hoc jus eſſet. 3. Alia ratione non poteſt fieri, ut Eccleſia ſemper ex libera voluntate ſubjiciat ſeſe ſuis miniſtris: quod tamen in miniſterio non minus eſt neceſſarium quam in conjugio.

4. Ius hoc vocandi, ita quoad proprietatem in Eccleſia manet, ut non poſſit vel voluntate aliena eripi, vel voluntaria conceſſione amitti, vel alienæ fidei plane committi. Actus enim Eccleſiæ eſt cauſa neceſſario ad vocationem Eccleſiaſticam requiſita.

5. Actus tamen varii ad vocationem pertinentes poſſunt aliis committi, & ex ordine debent à præcipuis Eccleſiæ

,, membris, vel presbyteris (attende, at-
,, tende: Præcipua Eccleſiæ membra non
,, ſunt Magiſtratus, ſed presbyteri) præſtari.
,, Cura etiam (hic tandem ſequuntur quæ
,, tu citas) ut omnia recte fiant, pertinet ad
,, Magiſtratum. Iudicent lectores tibine Ameſius an nobis in hac quæſtione aſtipuletur. Quod ad Cl. Riveti paginam 267. peropportune eam allegat Vedelius, ſunt eum in ea duæ propoſitiones quæ ſententiam ejus de formali vocatio-
,, ne jugulant. 1. Eadem eſt ratio remo-
,, tionis quæ electionis. 2. Magiſtratus
,, non deponit (1. removet) formaliter.
,, Unde apodicticè concluditur: Ergo nec eligit formaliter. Solvat hunc nodum Vedelius.

Hactenus Vedelius opinionem ſuam Eccleſiæ reformatæ attribuere conatus eſt, fruſtra, quoad primam quidem partem. Nunc utramque partem ratione firmare aggreditur. & priorem quidem
,, iſtâ: Quia jus vocationis paſtorum ad
,, totam Eccleſiam pertinet, ergo etiam, &
,, inſigniter, ad Magiſtratum. Ubi variè peccat. 1. Non ſequitur, pertinet ad Eccleſiam, ergo ad Magiſtratum, ratione muneris videlicet, quia Magiſtratus qua talis eſt extra Eccleſiam, fatente Vedelio. 2. Multo minus ſequitur, pertinere ad Magiſtratum inſigniter, quia videlicet Magiſtratus inſigne munus habet (alia

enim

Digitized by Google

enim ratio excogitari non poteſt) neque enim illud munus, quantumvis inſigne, Eccleſiaſticum eſt, ideo non extendit ſe ad functiones Eccleſiaſticas, qualis eſt vocatio miniſtrorum, formaliter exercendas. 3. Licet jus vocandi quoad proprietatem ſit in Eccleſia tota, tamen cum ejus actus formalis ab eâdem preſbyterio, ut ex ordine fieri debet, commiſſus eſt, ab eo ſolo is præſtari debet, ut docuit Ameſ. theſ. 4. 5. pergit: tum "quatenus eſt Eccleſiæ membrum, ratio- "ne perſonæ; cum enim jus illud toti po- "pulo competat, non poteſt excludi pius "Magiſtratus, tum maxime ratione mu- "neris, cum populi ſit caput. Reſp. ſi per totum populum intelligat totam Eccleſiam, jam diſtinximus jus ab exercitio ejus. Si intelligat eos etiam qui Eccleſiæ membra non ſunt, quales fere plerique ſunt *in populo*, negamus jus vocandi *toti populo* competere. Et hoc ad primum reſpectum, in quo parum, aut penè nihil Magiſtratui tribuitur à Vedelio, ut ei videlicet, tanquam Eccleſiæ membro, inter aliquot illorum millia, milleſimum forte ſuffragium detur. ſecundus reſpectus majoris momenti eſt, nempe Magiſtratui *ratione muneris* hanc competere poteſtatem, cum *populi* ſit *caput*. atqui, cum populus ille cui jus vocandi convenit non ſit alius quam ipſa Eccleſia, hac

ratione Magiſtratus à Vedelio *Eccleſiæ caput* conſtituitur, & quidem in Eccleſiaſtico negocio. Quod auditu intolerabile eſt. Rivetum p. 267. quidem eodem ſecum trahit, ſed ei injuriam facit, neque enim is de formali vocatione ibi loquitur, ſed diverſis ſtatibus diverſas in hoc negocio partes eſſe tribuendas apertè profitetur.

Accedit ad probandum poſterius membrum, de cura Magiſtratus objectiva. De qua nulla nobis cum eo controverſia eſt. Et pergens: Atque hæc qui-
„ dem, inquit, eſt ordinaria poteſtas quam
„ Magiſtratus habet in *Electione* miniſtro-
„ rum. Extraordinarie, v. g. quando diſ-
„ ſenſio circa electionem eſt inter perſo-
„ nas Eccleſiaſticas, Magiſtratus aliquan-
„ do plus (aliquantò plus legendum) au-
„ ctoritatis debet adhibere tanquam con-
„ ſervator Eccleſiæ, ait Cl. Walæus p. 185.
„ quemadmodum à Theodoſio Magno
„ factum, qui, cum videret diſſentire epiſ-
„ copos illius provinciæ inter ſe circa ele-
„ ctionem Epiſcopi Conſtantinopolitani,
„ nullius nominationem voluit ratam ha-
„ bere; ſed, cum ipſi commendatus eſſet
„ per epiſcopum Antiochenum Nectarius,
„ eum propoſuit Imperator Eccleſiaſticis,
„ & *cupere ſe* eum Epiſcopum habere ex-
„ poſuit. Reſiſtebant multi Epiſcopi, per-
„ manſit tamen Imperator in ſua ſenten-

tia;

Digitized by Google

tia; tandem ceſſerunt ipſi omnes, & "
ſuffragio Imperatoris ſuum etiam calcu- "
lum unanimi conſenſu addidere. Quod "
exemplum etiam ex Sozomeno l. 7. c. 8. "
refert Cl. Walæus ibidem. Hactenus Vedelius. cui reſpondeo: 1. Exemplum hoc eſſe non tam Walæi, quam Utenbogardi, à Walæo refutatum. (locus eſt in edit. Belg. p. 171.) 2. Verba illa, *cupere ſe*, &c. non reperiri apud Walæum. imo negat id factū per legem Imperatoris, quod Utenbog. decebat. 3. ſi hic modus procedendi placet, iam erit in hoc caſu Electio penes Magiſtratum *ſolum:* approbatio, & quidem extorta, penes miniſtros. Sic denuo in eam ſententiam Utenbogardi quam ab ſe amoliri conatur Vedelius ruit. 4. Remedium hoc inter nos nullam neceſſitatem habet. Diſcrepantibus enim iis qui electuri ſunt, ſi vota ſunt imparia, plura præponderant: ſi paria, ſorte res dirimitur, ad exemplum Apoſtolorum. act. 1. 26. nullo ergo caſu hujusmodi interpoſitio Magiſtratus requiritur, & hæc de quarta quæſtione.

QUÆSTIO V.

An ad Magiſtratum pertineat judicium de religione & controverſiis fidei, & cauſis eccleſiaſticis.

POſtquam Bellarmini ea de re ſententiam propoſuit, ſuam ſubjungit, in hæc verba:

„ Non ſolum ad Paſtores & Doctores
„ Eccleſiæ, ſed etiam ad Magiſtratus per-
„ tinet judicium de religione ſeu rebus fi-
„ dei, & cauſis Eccleſiaſticis, unice ex ver-
„ bo Dei inſtituendum: & quidem ad eum
„ pertinet, tum formaliter, tum objective.
„ Hæc etiam (inquit) eſt doctrina totius
„ Eccleſiæ reformatæ. clarius autem eam
„ explicat in ſequentibus: Eſt autem, in-
„ quit, hæc propoſitio bimembris. Primo
„ dicimus, ad Magiſtratum pertinere ju-
„ dicium de religione, &c. formaliter.
„ Hoc membrum ut eo magis cum alio
„ membro intelligatur, tenendum eſt, ju-
„ dicium circa res religionis & Eccleſiæ,
„ triplex eſſe, diſcretionis, definitionis,
„ & executionis. Quantum attinet ad
„ judicium diſcretionis, pertinet illud ad
„ omnes homines, adeoque etiam con-
„ ſequenter, imo magis, ad Magiſtratum,
„ idque omni tempore, ſpeciatim ante ſy-
„ nodum, in ſynodo, poſt ſynodum. Hic
libenter

libenter ex Vedelio audirē, qui judicium diſcretionis de rebus eccleſiæ & religionis omnibus hominibus tribuat, an & infideles, puta Turcas, Iudæos, ethnicos iis comprehendat? & quomodo illorum ſit judicium diſcretivum, qui ſpiritu diſcretionis deſtituuntur? nam in Eccleſia tantum illud donum ponit Apoſtolus, 1. Cor. 12. 10. Deinde, quæ ſit illa conſequentia: pertinet judicium diſcretionis ad omnes homines, ergo *magis* ad Magiſtratum? nam, cum judicium illud *privatum* ſit, non video quid Magiſtratui ſua dignitas in eo præ cæteris conferat. Sed, quia non tam de hoc judicij genere, quod nos omnibus fidelibus, pro modo doni unicuique à Deo collati, & ſic etiam magiſtratui, qua fidelis, & ejus doni particeps eſt, libenter concedimus, quæſtio eſt, quam de judicio definitivo, age, videamus quid de eo ſtatuat Vedelius. Quantum (inquit) ad judicium definitivum (quod ita vocatur ab orthodoxis per accidens, nimirum reſpectu verbi Dei, cui per ſe unice judicium definitivum competit) convenit illud Magiſtratui, & in ſynodo, & poſt ſynodum &c. Hic eſt nodus controverſiæ. hoc enim negamus. Sed res dilucidior erit è ſequentibus. Videamus ergo quomodo hoc judicium Magiſtratui in ſynodo competat: In ſynodo, ait Vedelius, ita

„ ut habeat ſuffragium deciſivum, æque ac
„ Doctores Eccleſiæ. hæc ille. In quibus arbitror eum per Doctores Eccleſiæ intelligere Paſtores, alioqui nihil quod ad rem facit diceret, cum Bellarm. cui hanc ſententiam opponit, non Doctoribus ſcholarum, ſed Epiſcopis poteſtatem decidendi tribuat. Videat ergo, quomodo hoc cum ſua diſtinctione in-
„ ter Paſtores & Doctores conveniat. In
„ prima ſua propoſitione ait: non ſolum ad
„ Paſtores & Doctores Eccleſiæ &c. Ubi dubites, an utroſque pro iiſdem ſumat, ita ut ſecunda vox primam explicet, an vero ad ſuam diſtinctionem reſpiciat. Hoc certum eſt, eum Magiſtratum hic conferre cum Paſtoribus, & tam illi quam hiſce ſuffragium deciſivum *in ſynodo* tribuere. Quod nos dogma falſo attribui Eccleſiæ reformatæ, & quidem toti, aſſerimus. patet è canonibus ſynodicis, qui ſuper hac re ab eccleſiis Belgicis evulgati ſunt. Synodo Dordr. 2. art. 34. Ius voti deciſivi tribuitur ſolis Paſtoribus & ſenioribus, & iis quidem tantummodo qui à claſſibus ſunt ablegati. Confer Synod. Middelb. 1. art. 35. Hag. 1. art. 44. Middelb. 2. art. 42. Dordr. ult. art. 50. adiice, ſi vis, Synod. Hag. 2. art. 31. Ultraject. art. 13. quæ Utenbogardianos errores in vocatione Paſtorum ſecutæ ſunt, à quibus ta-

men

men nuſquam in ſynodo votum deciſivum Magiſtratui tributum reperies. Itaque ne unum quidem hic Eccleſiaſticum canonem pro ſe habet Vedelius. Et praxis communis Eccleſiarum ei adverſatur. Ut enim Synodos provinciales prætercam, Nationalē ipſam Dordracenam pro illuſtri exemplo ſumamus, in qua prępotentium Ordinum Deputatos votum deciſivum non habuiſſe in confeſſo eſt. Neque è ſcriptura ſacra ſententiam ſuam unquā ſtabilet Vedelius (quod nec conatur quidem) in qua dicitur 1. Cor. 14. 29. 32. *Prophetæ duo aut tres loquantur, & alii dijudicent*. Item: *ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjecti ſunt*. Nuſquam autem dicitur, ſpiritus Prophetarum Magiſtratui ſubjectos eſſe. Confer Act. 15. 2. Et plurima alia teſtimonia, citata à Cl. Walæo p. 185. & ſeqq. Inter alia vir ille magnus obſervat, ſynodos veteres, nominatim quæ ſub Imperatoribus Chriſtianis celebratæ ſunt, decreta ſua in negocio doctrinæ ſtabiliviſſe ſpirituali anathemate, quod pertinet ad claves regni cœlorum, quæ ſoli Eccleſiæ, non autem Magiſtratui à Chriſto tributæ ſunt. Non licuit ergo Magiſtratui in talibus decretis votum deciſivum habere, ne Imperatori quidem. Non ergo Eccleſiarum hæc doctrina eſt, ſed Utenbogardi. Is enim lib. de poteſt. Mag. p. 109. ait: Etiam à

» Magiſtratu inter ſynodales judicium fer-
» ri poſſe. De qua opinione Cl. Voetius,
» de poteſt. Eccl. Diſp. 3. theſ. 1. ait: eam
» eſſe meram confuſionem poteſtatis &
» judicij politici cum Eccleſiaſtico, & qua-
» ſi collateralitatem quandam. In Syno-
» dis, inquit, ſuffragia ſuffragiis archite-
» ctonice non dominantur, ſed libera ſunt:
» potiora autem ſuffragia paucioribus le-
» gem figunt. Si ergo Magiſtratus ſuffra-
» garetur cum ſuffragiis quæ vincuntur,
» jam ſequitur, ſupremam & architecto-
» nicam poteſtatem ſubjici judicio ſynodi,
» & poteſtati Eccleſiaſticæ: atqui hoc tan-
» quam grande nefas ad invidiam noſtræ
» ſententiæ imponunt Remonſtrantes, &c.

Conſideravimus judicium quod Vedelius Magiſtratui in ipſa Synodo tribuit, nunc quale ei poſt Synodum aſſcribat
,, conſideremus. Poſt Synodum, inquit
,, (competit judicium deciſivum de reli-
,, gione, &c. Magiſtratui) quando, aut à
,, parte condemnata querela defertur ad
,, Magiſtratum, aut Eccleſia de errantibus
,, vel hæreticis apud ipſum conqueritur, ut
,, cuſtodem ac vindicem legis divinæ: hæ-
,, retici autem apud ipſum ſe defendere co-
,, nantur. Et tunc recte fecerit, ſi in con-
,, ſilium adhibeat peritiores & pios Theo-
,, logos, niſi forte rei gravitas poſtulet, ut
,, de ipſius voluntate res in alia Synodo
,, reſumatur, &c. In duplici ergo caſu ju-

dicium

dicium hoc poſtſynodale deciſivum Magiſtratui tribuit. 1. Si Orthodoxi de hæreticis, 2. Si hæretici de Orthodoxis querantur. Reſp. In primo caſu judicium illud non requiri. Neque enim Orthodoxi, quum, Synodo habita de hæreticis queruntur, aliud petunt, quam ut Magiſtratus judicium Synodi à ſe approbatum adverſus refractarios tueantur, non autem ut res Eccleſiaſtica denuo in judicium, & quidem politicum adducatur. Quod ſi hæretici adverſus Orthodoxos, de ipſis conquerentes apud Magiſtratum, ſe defendere conantur, Magiſtratus erit diſpicere, an querelæ Orthodoxorum adverſus hæreticos veræ ſint, puta, an hi adverſus ea quæ in Synodo decreta, & ab ipſo Magiſtratu approbata ſunt, contumaciter ac ſeditioſe ſe geſſerint, & pro qualitate facti eos coërcere. Verum hoc non eſt judicium deciſivum de religione iterum inſtituere, ſed in perſonale delictum inquirere. Veniamus nunc ad caſum alterum, in quo conſilium Vedelii clarius eluceſcet. In eo ponit, partem condemnatam querelam (neque enim appellationem vocare audet, licet res eadem ſit) à Synodo deferre ad Magiſtratum, & huic tribuit judicium poſtſynodale ejus cauſæ quæ in Synodo deciſa eſt. Cum autem ſciat & Magiſtratibus pauciſſimos (quod ſine

corum

eorum contumelia dictum ſit) eſſe in controverſiis theologicis exercitatos, vult alios advocari, è quorum placitis illi judicent. Eos appellat peritiores & pios theologos. Inter quos S. S. Theologiæ Profeſſores hauddubie imprimis reponit. Sed 1. Hoc totum contumelioſum eſt in eos qui in ſynodo judicarunt, nec ſolum eccleſiaſticos, ſed, juxta Vedelium, ipſos Magiſtratus, quaſi nec periti ſatis, nec pii fuerint. 2. redundat ea injuria non in illorum perſonas tantum, verum etiam ad eos qui illos deputarunt, tam Eccleſias videlicet, quam Magiſtratuum collegia, quaſi hominibus ineptis, vel à pietate non ſatis probatis tantam rem commiſiſſent. 3. Provocatio à ſynodo, non modo ad Magiſtratum politicum erit, ſed maxime ad paucos illos qui ſe tota ſynodo peritiores putant. Provocationem dico, nam quod pro ea Vedel. querelam nominat, imago potius quam res eſt. 4. ſi ad hanc rem Magiſtratus Profeſſoribus Theologiæ uſi fuerint, jam provocatio ab Eccleſiæ judicio tandem ad Profeſſores perveniet, qui quid judicandum ſit Magiſtratibus dictabunt. Notent eccleſiæ hoc arcanum. 5. ſi penes Magiſtratum erit, quum conqueritur pars condemnata, vel per paucos, vel per aliam ſynodum judicata denuo in controverſiam

voca-

vocare, quæro, quid facturus ſit, ſi etiam de illis peritioribus, &c. vel de illa ſynodo quis conqueratur? nam certe ſemper condemnati conqueruntur, vel conqueri poſſunt, ſemper ergo, quoties condemnatis libet, eadem res in Synodo diſputabitur, nec unquam fiet deciſio. Quod quantum abſit à Remonſtrantium opinione, qui in ſynodo deciſionem debere fieri negant, conſideret Vedelius. 6. quod ſi paucorum illorum peritiorum &c. judicio ſtandum, idque poteſtate coactiva Magiſtratus ſtabiliendum eſſe cenſeat Vedel. perpendat, cujus ſpiritus ſit, ſuum judicium inviolabile cupere eſſe eos qui judicio Eccleſiæ publico ſtare nolunt. 7. Sciat idem, ſi id hactenus, ut videtur, ignoravit, ſuum hoc conſilium vel idem, vel certe gemellum eſſe, cum eo quod aliquoties Arminiani, & noviſſime Antonius Hornhovius in medium attulit, ſuper reviſione Canonum ſynodi Dordrac. quæ ſententia, Theologorum Leydd. cenſuris confixa, & libellus Hornhovii publica auctoritate ſuppreſſus fuit. In hoc uno forte ab illo diſcrepat Vedel. quod ille pauculos illos peritiores, &c. velit eſſe eos qui ita à partium ſtudiis alieni ſunt, ut nunquam vel voce vel ſcripto in adverſam partem fuerint invecti. Quam conditionem non libenter, ut arbitror, Vedel. acciperet,

ita

ita enim ſe ipſum ab illo numero excluderet. Vide Cenſuram Theoll. Leydd. in libellum Hornhovii belgice editam Anno 1626. & confer quæ de hac Theologorum evocatione habet Cl. Voetius, de poteſt Eccl. Diſp.3. theſ.1. fol.3.

Quantum ad judicium executionis,
„ ait porro Vedel. pertinet illud ad eum
„ (videlicet Magiſtratum) poſt ſynodum, ita
„ ut ipſius officii ſit, per judicia publica *exe-*
„ *qui* ſententiam, quæ non ſolũ Eccleſiaſticorum
eſt, ſed etiam primo & præcipue
„ ipſius Magiſtratus, ut nobiliſſimi mem-
„ bri, & directoris totius Synodi. Reſp. An, & quatenus hæc attributa Magiſtratui conveniant hic non diſputabo, nam id jam ex parte factum eſt, & ex parte fiet porro in ſequentibus. Nunc hæc obſervo: 1. Magiſtratum, juxta Vedelium, *eſſe exequutorem* ſententiæ Eccleſiaſticorum. Quod eum dicturum monueram ad quæſt. primam. 2. hæc è diametro pugnare cum præcedentibus. nam, ſi Magiſtratus officium eſt, ſententiam Synodalem per judicia publica exequi, non eſt ejus, eam in controverſiam revocare, ac denuo, imo perpetuo, aliis ac aliis ventilandam dare, idque ob querelas eorum qui à Synodo ſunt condemnati. Sic enim nunquam ad exequutionem ſententiæ Synodalis procederetur, niſi condemnatis placuerit, cum illi

ſem-

ſemper conqueri poſſint, ut dictum eſt.

Atque hæc de priore membro propoſitionis Vedelianæ, quo formale judicium, & quidem deciſivum de religione &c. Magiſtratui vindicare conatus eſt. Sequitur poſterius, quo id judicium objective ad eundem dicitur pertinere. Ita videlicet (ait Vedel.) ut ipſius officium ſit, dirigere quoad ordinem externum judicia publica Eccleſiaſticorum de religione &c. Hæc concedimus. Sed quæ ſequuntur valde languent. Cum enim (ait) quando controverſia eſt aliqua fidei orta, ſeu quæſtio de dogmate valde dubio, ſive cujus non notoria eſt veritas & falſitas, (nam notoriam veritatem non debet pati Magiſtratus in dubium vocari, nedũ ad Synodum pertrahi, ſed coërcere contradicentes poteſtate ſua coactiva) ordinarius & verbo Dei maxime conformis modus judicandi ſit, qui à Synodis peragitur ſecundum verbum Dei. Falſiſſimum acroama. Quæro enim quid Vedelius intelligat per dogma valde dubium? an tale de quo ipſi Orthodoxi dubitant? ſi ſic, quomodo de ipſo judicare poterunt? an vero de quo heterodoxi dubitant? at illi dubitant etiam de maxime notoriis. An, quod in ſe eſt dubium, nec notoriæ veritatis? at tale (ſi tale datur) nunquam ab ulla Synodo elucidabitur. Imo temerarium foret, judicium

Digitized by Google

dicium ferre de rebus minime notoriis. Peſſime ergo dicitur, ſolum dogmata valde dubia, non autem notoria, ad Synodum pertrahenda. Ita enim male Synodus Nicæna ad ſe pertraxiſſet dogma de S. S. Trinitate, & Deitate filii, cujus veritas & in ſe, & apud Orthodoxos maxime notoria eſt. Nec video quid hic comminiſci poſſit Vedelius, niſi velit Miniſtros de veritate dubios ad Synodum accedere, & ibi demum eam inquirere; qua lege latâ, non Orthodoxi eo, ſed ſceptici mittendi eſſent. Pergit Vedel.
„ Magiſtratus eſt, non vocari ad ſynodum ab eccleſiaſticis, ſed convocare eccleſiaſticos ad ſynodum, aut ipſis petentibus permittere ſynodum. De tribus quæ hic ponuntur, primum concedimus: non eſſe ab Eccleſiaſticis Magiſtratum ad ſynodum vocandum. Sed & inde ſequi dico. non habere Magiſtratum in Synodo judicium deciſivum. Id enim nulli habent, niſi ab Eccleſia deputati, & qui veluti os eccleſiæ ſunt. Secundum vellē mihi è ſcriptura a Vedelio demonſtrari, nempe, Magiſtratus eſſe, convocare eccleſiaſticos ad ſynodum. Si hoc ita habet, quid fiet ſynodo Apoſtolorum Act. 15. quid tot ſynodis quæ totis ducentis annis à morte Joannis Apoſtoli ad tempora Conſtantini uſque mutua convocatione Miniſtrorum Eccleſiæ celebratæ

lebratæ ſunt? (de quibus v. Walæum p. 190.) Dices, tum Magiſtratum Chriſtianum nullum fuiſſe. Oſtende ergo, ubi ſcriptura hoc jus Eccleſiæ olim abrogandum, & in Magiſtratum, ſimulac is Chriſtianam fidem amplecteretur, transferendum docuerit. In convocandis conciliis oecumenicis ita quondam factitatum facile damus, verum non ob jus aliquod Magiſtratui divinitus hac in parte collatum, ſed ob neceſſitatē, quia aliter tot populorum Eccleſiæ commode in unum cogi non poſſe viderentur. Ceſſat autem ea qualiſcunque neceſſitas in ſynodis minoribus, ubi eccleſiæ unius ordinis vinculis inter ſeſe aptæ nexæque ſunt. Audiamus hac de re Voetium de poteſt. Eccleſ. Diſp. 3. theſ. 1. quæſt. 11. An Eccleſiæ conveniat ſynodorum indictio & convocatio, an Magiſtratui? Reſp. primo, per ſe, & intrinſece Eccleſiæ convenit; Magiſtratui vero convenit conſenſus, non quidem per ſe, ſed per accidens, externi ſcil. hominis cum ſuis circumſtantiis, & relate ad politiam, in qua eſt Eccleſia. Et mox: imprimis hoc intelligi debere ait de concilio generali in Imperio Romano aut Occidentali. Alioquin, inquit, multas ſynodos tum clanculum, tum etiam palam abſque convocatione Magiſtratus conveniſſe, certum eſt. Probat a concilio Apoſtolo-

rum

rum Act. 15. quod omnium aliorum exemplar eſt, item Ancyrano, aliiſque, quæ ne exertum quidem habuerunt conſenſum Magiſtratus, tantum abeſt ut ab eo convocata fuerint. Sed videtur ipſe Vedelius de ſuo axiomate dubitate, quum adjicit pro tertio: aut (Magiſtratus eſt) ipſis (videlicet Eccleſiaſticis) petentibus permittere ſynodum. Ubi, ſi, ordine jam conſtituto, tamen facultatem ſynodi celebrandæ neceſſario ſemper à Magiſtratu de novo petendam eſſe velit, nego hoc in ullo canone eccleſiaſtico noſtrarum regionum ſtatutum eſſe. Ne in Ordine quidem Anni 1591. ſolus canon 13. Ordinis Ultrajectini 1590. qui totus Utenbogardianus eſt, hanc neceſſitatem Miniſtris imponit. Nationalium vero ſynodorum canones ab ipſa ſynodo *Eccleſiam* ſeligendam eſſe dicunt, quæ, conſulta claſſe ſua, tempus & locum proxime habendæ ſynodi provincialis deſignet. De ſola nationali ſynodo additur, ut *Eccleſia* ad eam *convocandam* electa quando de tempore & loco deliberatura eſt, id in tempore Ordinibus Generalibus ſignificet, ut iis conſciis, &, ſi velint, nonnullos è ſuis ad claſſem ablegantibus, negocium concludatur. Quanquam hujuſmodi fere praxis Eccleſiarum noſtrarum eſt, ut quotannis Magiſtratui tempus & locum habendæ ſyno-

ſynodi provincialis ſignificent, & petant,
ut ei placeat quoſdam è ſuis ad eam ab-
legare. Videantur ſuper hac re Canones
eccleſiaſt. ſynod. Dordr. 2. art. 39. uſque “
ad 47. Middelb. art. 34. 35. Hag. art. 43. “
44. Dordr. 3. art. 47. 50. pergit: Et, ubi “
Eccleſiæ deputatos nominarunt, ipſa- “
rum eſt, referre rem ad Magiſtratum, “
quo ita confirmentur à Magiſtratu, ſi is “
juſtas cauſas non habeat rejiciendi. vide “
Sibr. p. 149. quemadmodum è contra- “
rio poteſt excludere perſonas ab Eccle- “
ſiis deputatas, quæ ipſi ob veriſſimas & “
juſtiſſimas cauſas diſplicent, & mandare “
Eccleſiis, ut alios qui idonei ſint eligant. “
ait Sibr. p. 149. Hic primo omnes Ec- “
cleſiæ Belgicæ à Cenſore Vedelio con-
demnantur, apud quas hoc in uſu non
eſt. Deinde calumnioſe imponitur Si-
brando, quaſi is dixerit, *Eccleſiarum eſſe*
hoc facere. Quum tantum dicat, id ha-
ctenus obſervatum fuiſſe in Friſia. ea au-
tem reliquis provinciis præjudicare non
poteſt. Et, quod caput eſt, puto erraſſe
Sibrandum in facto. Nam neque hic
mos petendi confirmationem Deputa-
torum ad ſynodum à Magiſtratu, in
Friſia eſt, neque fortaſſis unquam fuit.
Sed de eo certius à paſtoribus Friſicis
Vedelius, ſi vult, edoceri poterit. Ad
rem ipſam quod attinet, audi eundem
Sibrandum pag. præced. Æquum eſt i-

gitur,

„ gitur, ait, ut ad nationalem ſynodum
„ *cum judicandi poteſtate* veniat *nemo* ali-
„ cujus Eccleſiæ nomine, niſi *ab iſta eccle-*
„ *ſia* legitime electus, & *ab illa* ad ſyno-
„ dum miſſus ſit. Hic mihi fortaſſe (ſunt
„ adhuc verba Sibrandi) objeceris (atten-
„ de, Vedeli) fieri poſſe ut Eccleſiæ aliquos
„ eligant qui non ſint admodum idonei,
„ vel, ut illos qui ſunt maxime idonei
„ prætereant. Sed idem (nota) fieri poteſt
„ à Magiſtratu. Deinde veriſimile eſt (no-
„ ta iterum) Eccleſias rectius noviſſe, qui-
„ nam in ſuis cœtibus ad eas actiones ido-
„ nei ſint, quam ſupremus Magiſtratus. Et
„ mox: à Magiſtratu igitur hic facilius er-
rari poteſt quam ab Eccleſia. Citat poſt Sibrandum Vedelius Cl. Walæum pag. 214.215. Ubi inter alia ait: eum (Ma-
„ giſtratum videlicet) accedente Eccleſia-
„ rum aſſenſu, poſſe excludere eos, qui no-
„ torie affectibus ſuis ducuntur, & magis
„ ſtudent propriæ gloriæ quam paci Ec-
„ cleſiæ. Locus eſt in edit. Belg. p. 202.
„ Reſp. Si abuſui iſti ipſæ Eccleſiæ proſpicere non poſſint, tum demum tempus eſſe, ut Magiſtratus ei extra ordinem medeatur. Sed vix ea neceſſitas uſu venire poteſt. Nam ab Eccleſiis auctoritatem accipiunt ii qui ad ſynodum mittuntur, ad ſynodum literas inſtructionis afferunt, eæ ab univerſa ſynodo examinantur, &, ſiquid adverſus ablegatum

quis

quis habet, libere profertur. Quis credat univerſam ſynodum admiſſuram eſſe eum qui NOTORIE indignus eſt? ita enim tota contra conſcientiam peccaret; unde ſequeretur, ab omnibus eccleſiis homines nulla fide, nulla religione ad ſanctum illum cœtum deputatos eſſe, quod non niſi ab homine malevolo de Eccleſiis Reformatis & bene conſtitutis vel credi vel affirmari poteſt. pergit: Extraordinarie ipſe etiam poteſt nominare perſonas, quas cupit intereſſe ſynodo, maxime ubi Eccleſiæ turbatæ vehementer ſunt, aut earum reformatio inſtituitur, quo ultimo in caſu poteſt uti Doctoribus, quos præſens opportunitas ipſi ſuppeditat. Vide eoſdem locis citatis (videlicet Sibrandum & Walæum.) At ego apud Sibrandum loco citato ne γρὺ quidem hac de re invenio. Walæi ſententia ex ipſius verbis optime intelligetur. Invenitur autem edit. Belg. p. 201.

Quanquam autem (inquit) Magiſtratus, antequam Eccleſiæ erigendæ firmiter ſint conſtitutæ, majorem libertatem habent in convocandis ejuſmodi conventibus, neque ad hunc vel illum ordinem aſtricti ſunt: prout Magiſtratus nonnulli, qui per Doctores Reformatos prius ad veram cognitionem adducti ſunt quam major pars ſubditorum, in principio reformationis ejuſcemodi Eccleſiæ

„ cleſiæ miniſtris & aliis viris idoneis ad
„ hoc ipſum ſunt uſi quales præſens op-
„ portunitas ipſis ſuppeditabat. Hacte-
nus citata à Vedelio. In quibus 1. nota, Walæum per Doctores Reformatos intelligere Eccleſiæ miniſtros, ut ex ipſius verbis liquet, non autem peculiari jure negocium hoc ad Profeſſores detuliſſe, quod videtur velle Vedel. cum unicam Doctorum vocem hic tam ſollicite ex-
„ cerpſit, reliquis omiſſis. Deinde, totum
„ illud, Magiſtratum extraordinarie poſſe
„ nominare perſonas, quas CVPIT inter-
„ eſſe ſynodo, apud Walæum non inveniri. Sed tantum, majorem eum (in caſu illo extraordinario) libertatem habere in iis convocandis. Unde non ſequitur illud, ſic volo, ſic CVPIO. 3. Non dediſſe Walæum hoc Magiſtratui, ubicunque Eccleſiæ turbatæ vehementer ſunt. Poſſunt enim & turbatæ vehementer eſſe ab hominibus improbis, & tamen fidos adhuc miniſtros ac presbyteros habere, quibus Magiſtratus ordinarium conveniendi modum relinquere tenetur, quod niſi faciat, ipſe Eccleſiam magis turbat, non autem medelam affert. Tantummodo ergo Walæus hanc majorem libertatem Magiſtratui tribuit, ubi Eccleſiarum Reformatio inſtituitur: alter ille caſus à Vedelio agglutinatus eſt. 4. ſi, ubi fidi adhuc miniſtri & preſ-

byteri

byteri ſunt, Magiſtratus ex Doctoribus, & aliis quos Cvpit conventum inſtituat, nego fore congregationem eccleſiaſticam: cum Doctores non ſint proprie perſonæ eccleſiaſticæ, illi vero quos Magiſtratus mittit quia ita Cvpit, non habeant miſſionem Eccleſiaſticam, ſed politicam. Recte Voetius, de poteſt. Eccl. Diſp.3. th.1. ad quæſtionem: An Magiſtratui competat Jus deputandi ad ſynodum, & literis mandati ac fidei deputatos ſynodales inſtruendi? Reſp. Negatur. 1. Non eſſet tum conventus eccleſiaſticus, ſed politicus. 2. Repugnaret & ſcripturæ, Act.15. coll. cum 2. Corinth.8.18.19. (unde analogice id colligitur) & omni antiquitati, ac praxi eccleſiaſticæ. Videantur tomi conciliorum: & praxis celebris ſynodi Dordrac. in Actis modo cit. Pergit Vedelius:

Ubi jam ſynodi initium eſt faciendum, ipſius (Magiſtratus) eſt, comparere in ea, aut per ſe, aut per legatos ſuos ſive deputatos. Nimis pro imperio hæc. quaſi Magiſtratus ad hoc faciendum decreto Vedeliano cogatur, nec abſque hoc conſiſtere ſynodus poſſit. Aliter Canones ſynodici, qui ajunt, Magiſtratum id poſſe facere ſi velit. aliter etiam Voetius quo ſup. quæſt.VI. An per ſe aut per ſuos delegatos (Magiſtratus) debeat intereſſe ſynodo? Reſp. nulla hic eſt abſoluta

„ neceſſitas. Non ex parte ſynodi, quia
„ Magiſtratus ejus partem non conſtituit,
„ nec eſt de ejus eſſentia, ut videre eſt in
„ prima & perfectiſſima Synodo Actor. 15.
„ &c. nec ex parte Magiſtratus, &c. Vide
ſequentia, quæ & à nobis approbantur.
Pergit Vedelius:

„ Poteſt etiam adducere ſecum ad ſyno-
„ dum viros doctos, & in rebus theologi-
„ cis bene exercitatos, quorum conſilio
„ utatur, ut Cl. Walæus monet pag. 216.
Locus Walæi in belgica editione eſt p.
„ 202. ubi ita ſcribit: Cenſemus etiam
„ non ſolos Magiſtratus ſupremos, aut eo-
„ rum delegatos in ejuſmodi conventibus
„ locum habere; ſed & licere eis pios ali-
„ quot & in S. Scriptura exercitatos viros
„ penes ſe habere, quorum conſilio & ju-
„ dicio firmentur. Prout refert Euſebius
„ Conſtantinum nonnullis pietate conſpi-
„ cuis amicis ſuis comitatum in ſynodo
„ Nicæna comparuiſſe, nemine contradi-
„ cente. Hactenus Walæus; cujus verba
approbamus. Nullum enim publica
auctoritate inſtructum, ſive is Magiſtra-
tus ſit, ſive ei adjunctus conſiliarius, re-
jiciet ſynodus. Sed ſciat Vedelius, nec
Profeſſores hic intelligi (ne fruſtra ſit)
nec miniſtros, ſed conſiliarios politicos.
Ut exemplo Conſtantini liquet. Sciat e-
tiam in noſtris regionibus exiguum vel
nullum id uſum habere, ubi regimen eſt

Ari-

Ariſtocraticum, & ii à Magiſtratu delegantur, qui quid ſui hac in parte muneris ſit, ipſi intelligant, nec ſuggeſtore opus habeant. Ideo adjicit VValæus (quod Vedelius enotare oblitus eſt) hoc maxime locum habere poſſe, ubi Magiſtratus principes & Monarchæ ſunt. id autem nihil ad nos. Diſpungamus ea quæ ſequuntur apud Vedelium: Comparet autem (inquit) in ſynodo cum poteſtate directiva, qua totum ordinem externum regit. (hoc non negamus) Quare ipſius eſt præſidere in ſynodo (ordinis illius externi cauſa, fatemur.) ita ut, quemadmodum miniſter aliquis Eccleſiæ electivus & *miniſterialis* præſes eſt, quia *miniſter* eſt; ita ipſe *ut princeps* ſit præſes jure ſuo, & quidem *principalis*. Hi ſunt πλαστοὶ λόγοι, ad involvendam rem, non ad evolvendam comparati. Ita diſtinguendum erat: Præſides ſynodi eſſe poſſe duos: unum in cauſa fidei & Eccleſiæ, qui neceſſario miniſter Eccleſiæ, & ab illa electus eſſe debeat, alterum in cauſa ordinis & honeſtatis externæ, qui vel Magiſtratus ſit, vel ab eo miſſus. At Vedelius maluit hæc confuſa relinquere, & ſatis ad ſcopum ſuum habuit, præſidem eccleſiaſticum ſub politico deprimere, dum hunc *principalem*, illum *miniſterialem* vocat: eo argumento, quia hic *princeps* ille *miniſter* ſit. Et va-

leret quidem hoc argumentum à conjugatis, ſi præſes eccleſiaſticus eſſet miniſter *principis*. At non eſt, ſed miniſter *Chriſti*. Unde ex hac appellatione relatio nulla inter miniſtrum & principem oritur, ſed inter miniſtrum & Chriſtum. Perit ergo planè ſophiſticum commentum præſidis principalis & miniſterialis. Nam præſes politicus in ſuo ordine ſolus, eccleſiaſticus item in ſuo ordine ſolus eſt, & neuter alterius miniſter. Progrediamur in Vedelio:

„ Ibi moderabitur actionem, ita ut o„mnia fiant pie, decenter, graviter, quie„te, ordine, ut affectus exulent; ſiqui ſint „pertinaces, aut immodeſti, vel contume„lioſi, eos reprimet; in ſumma, operam „dabit, ut ex verbo Dei lis decidatur. Si nihil aliud dixiſſet Vedelius, neque ſuffragium deciſivum ſynodale & poſtſynodale, &c. Magiſtratui tribuiſſet, non eſſet quod adverſus eum velitaremur. Quanquam hæc omnia etiam ſuo modo ad præſidem eccleſiaſticum ſpectant, qui ſi monendo exorbitantes compeſcere non poſſit, præſidis politici auctoritatem æquum eſt intervenire. abſolvamus hæc:

„ Quod ubi factum eſt, non poteſt ſyn„odi judicium publicam auctoritatem ha„bere, niſi ad ſynodi petitionem illud à „Magiſtratu ſummo confirmetur. Hic

ite-

iterum ſub virgâ Vedelii cenſoria vapulant omnes ſynodi provinciales reformati Belgii, & omnis eis auctoritas à Vedelio abrogatur. Nuſquam enim, quod ſciam, moris eſt, ut eæ à Magiſtratu vel ſummo vel imo confirmentur. Nec opus eſt. Quanquam enim in cauſis gravioribus & extraordinariis caſibus, quales plerumque ad ſynodos Nationales devolvuntur, id recte fieri concedamus, tamen, ubi ordo pridem conſtitutus, & à Magiſtratu ipſo approbatus tantum ſtabilitur, & ſecundum eum, præſentibus etiam Magiſtratus delegatis, judicatur, nec petit Magiſtratus, nec res ipſa exigit novam confirmationem.

Poſtquam ſententiam Vedelii diſtincte & intelleximus & examinavimus, commodius auctores per quos eam totius Eccleſiæ reformatæ doctrinam continere probare vult, conſiderabimus. Et primum, negamus ex illorum auctorum inductione theſin Vedelianam demonſtrari, ut ut maxime cum ipſo facerent: neque enim illi, licet viri de Eccleſia bene meriti, totam Eccleſiam Reformatam conſtituunt. Deinde, cum nudū eorum catalogum texat Vedelius, breviter quid de quoque nobis videatur perſtringemus. Primus eſt Juellus, Apol. & Antapol. (parte 6.) cap. 9. 10. &c. de quo dicimus, & Epiſcopum fuiſſe, ac proinde

ipſa profeſſione à noſtrarum eccleſiarum ordine alienum; & in Monarchia vixiſſe, cujus non eandem rationem eſſe cum regimine noſtrarum regionum, etiam circa hoc negocium, ex VValæo paulo ante intelleximus; & multa in illum tractatum præclara congeſſiſſe, nec tamen pauca quæ accuratiorem limam deſiderant. Poſtquam Vedel. attulerit quæ ſibi ex iis arrident, & noſtram de iis ſententiam rationibus munitam accipiet. Secundus eſt Chamierus de Oecumen. Pont. cujus quum nec librum (ſex autem ſunt) nec caput, nec verba adducat, arbitramur deſignari libr.13. (qui de hoc argumento quartus eſt) c.12. ibi enim agitur de præſide concilii. At nihil aliud
„ ibi reperio, quam, Imperatorem ſibi *a-*
„ *liquando* id genus præſidentiæ *ſumſiſſe*,
„ quo actiones moderaretur, ſuffragia col-
„ ligeret, decretum pronunciaret. t. 10.
„ textu autem 22, Conſtantinus *nihil a-*
„ *gebat pro ſua auctoritate*, ſed attente ſuf-
„ fragia Epiſcoporum audiebat, excipie-
„ bat, inque ea decretum fieri *ſinebat*. Si
nihil aliud egit Conſtantinus, certe ſuffragium ipſe deciſivum non tulit. Quod vult Vedelius. Tertius Vedelii teſtis eſt Whitakerus, quem ſatis habuit nominare, nec libro, nec capite, nec ſententiâ ejus annotatâ. Neque hoc mirum, nam adverſarius ipſi eſt, ut oſtendemus.

Lib.

Lib. de Conc. q. 3. c. 1. ait: Non ſolos "
prælatos (majores videlicet, id eſt Epiſcopos, & Archiepiſcopos, quibus ex indulto adjunguntur alii mitrati. illis enim ſolis hoc juris tribuunt Pontificii) habere jus definiendi in conciliis, ſed "
homines quoſvis idoneos *eligi poſſe* qui "
ad concilium *mittantur*. eoſque libere "
pronunciare debere. Paulo poſt ex Luthero citat, ad concilium generale con- "
venire debere ſolide doctos & ſapientes, "
quos ECCLESIÆ ſingularum provin- "
ciarum DELEGERUNT. Quod ſane, "
inquit, verum eſt, & recte ab illo dictum. "
v. & c. 3. p. 101. hæc probamus. Sed alios ab iis quos Eccleſiæ elegerunt ad ſynodum cum poteſtate definiendi adduci poſſe, nec Whitakerus dicit, nec nos concedimus. Quod ad negocium præſidendi attinet, licet paulo diſtinctius de eo potuiſſet agere, tamen hoc recte cavet, ne per præſidis qualitatem inferatur jus *definiendi*. quæſt. 4. c. 2. p. 121. ait:
Præſidis eſt curare ut recte omnia admi- "
niſtrentur, etſi ipſe NON DEFINIAT, "
ut alii. Et poſtea: Non poteſt Bellarm. "
diſtinguere inter JUDICARE & præſi- "
dere. ibid. p. 134. dicit; Concilio Chal- "
ced. Martianum judices quoſdam con- "
ſulares præfeciſſe. Et poſtea de illis de "
ait: Non diſputabant, NON JUDICA- "
BANT, ut Epiſcopi, ſed præſidebant. "

 Quod

Quod poſtea adjicit, eos habuiſſe ſententiam & definitionem, primo de collectione ſententiæ ex epiſcoporum votis intelligendum eſt, ut patet ex iis quæ affert ex Cuſano, nempe, *eos ex conſenſu ſynodi*, hoc eſt, ex iis in quæ *ſynodus* conſenſerat, concluſiones & *judicia* feciſſe. Deinde, de *approbatione* & ſanctione eorum quæ ab Epiſcopis fuerant judicata, nec eâ tamen abſolutâ, ſed conditionatâ: ſi videlicet diviniſſimo noſtro Domino (id eſt Imperatori) placuerit. Hæc nihil contra nos.

Quartus Vedelii teſtis (quem etiam fugiendo citat, nec libro, nec capite, nec paragrapho indicato) eſt Junius. At etiam ille adverſus Vedelium ſtat, ut docebimus. In Controv. contra Bellarm. 4. l. 1. de Conciliis c. 15. Eos ait conciliis adhiberi oportere, qui DONO & VOCATIONE inſtructi ſunt. De Præſide ait c. 19. Magiſtratum ſummum oportere præſidem eſſe, *ad ordinis humani conſervationem*, ad res vero *fidei & Eccleſiæ*, i. ad cauſam ipſam, præſidem electivum eſſe. p. 238. (in Conc. Nicæno) Conſtantinus *ordini humano* præfuit, licet *cauſæ non præfuerit*. NEQVE IVDICIVM IN CONSESSV TVLERIT. Vide totum illum paragr. p. 239. Aliud eſt præſes *actionis*, aliud *ordinis*. Præſes actionis fuit Hoſius Cordubenſis, princeps vero præ-

ſes

ſes ordinis. ibidem: Sedes Conſtantino humilis fuit curata, ne inſidere tribunali UT JVDEX videretur. ibid. Conſtantinus profeſſus eſt, ſe EPISCOPIS NON PRÆESSE IN REBVS FIDEI atque JVDICIIS. In cauſa NEC PRÆFVIT nec præeſſe voluit. In ordine vero præfuit. vide ſequentia.

Quintus Vedelii teſtis eſt Sibrandus contra Grotium. Cujus cum nec verba, nec locum adduxerit, nos ea adducemus, ut appareat, eum omnia contraria Vedelio habere. p.146. & 147. iſta habet: Judicia publica vel ſunt presbyteralia, vel claſſicalia, vel ſynodalia. Nos de ſolis ſynodicis diſputamus. Et, ut methodice progrediamur, dicimus omnes credentes aut paſcere in Eccleſia, aut paſci. Illi vulgo vocantur paſtores, hi oves. Hi omnes, neque ſimpliciter ad concilium admitti, neque ab eo ſimpliciter arceri debent. Non enim omnes credentes eandem potentiam, neque idẽ jus judicandi habent. Poteſt enim fieri, ut quis habeat potentiam judicandi, jus non habeat. Ut qui idoneus eſt, ſed legitima vocatione deſtituitur. Nemo igitur cum judicandi poteſtate ad ſynodum admittatur, niſi qui *idoneus* eſt, & legitimam *vocationem* habeat. Sub idoneitate comprehendimus doctrinam, pietatem, & prudentiam. Per legitimam vo-

,, vocationem, non intelligimus eam, qua
,, vel ad gubernandam Rempubl. vel ad ec-
cleſiam paſcendam vocatus eſt: ſed qua
,, AB ECCLESIIS PECVLIARITER ELECTVS,
,, & cum judicandi poteſtate ad ſynodum
,, miſſus eſt. In utroque ordine ſunt ſu-
,, periores, & inferiores. Superiores in ſy-
nodo ſunt illi, qui præſunt ſive præſident
,, concilio. Repeto, nos hic (quod etiam
,, ante attigi) non agere de ſummo præſi-
,, de. Nam hic citra controverſiam eſt
Chriſtus, ſed de præſidibus ſubordinatis.
,, Subordinati præſides ſunt duo: Unus
,, Politicus, alter eccleſiaſticus. In ſynodo
,, enim generali accidunt quædam quæ
,, ſunt politica, & pertinent ad politiam:
& quædam quæ ſunt eccleſiaſtica, & per-
,, tinent ad eccleſiam, Illa curantur à po-
,, litico, hæc ab eccleſiaſtico. Præſidis po-
,, litici partes ſunt ſynodum indicere &
cogere, coactam tueri, externam vim
,, & internam ἀταξίαν prohibere, decreta
,, legitime facta, & legatorum ſubſcriptio-
,, nibus confirmata, ſua quoque auctori-
,, tate confirmare, eaque in ditionibus ſuis
promulgare, & repugnantes coërcere.
,, Eccleſiaſtici præſidis partes ſunt, quæ-
,, ſtiones de fide motas in ſynodo propo-
,, nere, diſputationes moderari, ſuffragia
,, colligere, & decreta per notarios in acta
referre. Ille, vel eſt princeps ipſe, ut
,, Conſtantinus Magnus in ſynodo Nicæ-

na,

na, vel ejus legati, ab ipſo principe ad ſynodum miſſi, ut *οἱ ἐνδοξότατοι ἄρχοντες* in ſynodo Chalcedonenſi. Hic, communibus vel pluribus ſuffragiis à fratribus, qui *cum ſuffragandi & judicandi poteſtate* ad ſynodum miſſi ſunt, eligitur. Inferiores, ſunt cæteri, qui *ab Eccleſiis electi*, & à Magiſtratu approbati, Cum Judicandi Poteſtate ad ſynodum mittuntur. Hi in controverſiis fidei dijudicandis præcipuas partes habent, neque tamen pro judicibus proprie dictis, ſed pro judicii in Dei verbo comprehenſi interpretibus ſive indicibus habēdi ſunt. Quid hic eſt pro Vedelio? quid non contra ipſum? niſi in voce *præcipua* argutari velit, quod ridiculum eſſet, cum res ipſa tam clare & diſtincte à Sibrando enucleetur.

Sextus Vedelii teſtis eſt Bogermannus contra eundem Grotium. At is nobis ſuppeditavit teſtimonium Junii, quo communem eum eccleſiarum noſtrarum ſententiam judicio ſuo declaraſſe & defendiſſe ait. pag. 192. & hic ergo noſter eſt.

Septimus Vedelii teſtis eſt Synopſis Theol. Leyd. diſp. 49. ex ea ergo diſputatione nonnulla excerpemus. theſi 17. ait auctor, indictionis & convocationis jus eſſe penes Eccleſiam, Eccleſiæque membra, & quidem *Eccleſiaſticum con-*

„ *ſeſſum*. Id probatur theſ.18. exemplis ſy-
„ nodi Apoſtolicæ Hieroſolym. Actor. 15.
2. & 6. & 21. 18. Epheſinæ, Act. 20, 17.
Antiochenæ porro & aliarum. ac con-
„ cludit: Epiſcoporum imprimis eſſe ſy-
„ nodos indicere. th. 20. ait Magiſtratui, ſi
„ toleret Eccleſiam, eamque cum omni
„ ſuo ordine & regimine patiatur eſſe pu-
„ blicam, aut decreto ut talis ſit ſanciat,
„ eſſe *poſſe* hic quoque ſuas partes, & ejus
conſenſum & auctoritatem depoſci. th.
„ 21. Magiſtratus Chriſtiani conſenſum,
„ auctoritatem, auxilium, & ſecuritatis
„ præſtationem hic experi debere, neque
„ ipſum ea denegare, ſed præſtare teneri.
th. 22. 23. Magiſtratus ſuperiores haben-
„ darum ſynodorum nonnunquam fuiſſe
„ auctores, maxime ſi ceſſator eccleſiaſti-
„ cus ordo eſſet. th. 24. ſi contra Magi-
ſtratus ab officio ceſſaret, Eccleſiam ni-
„ hilominus ſibi non deeſſe, ſed convoca-
„ tionis jure & auctoritate *quæ primo apud*
„ *Eccleſiæ Antiſtites reſidet*, uti debere.
„ th. 26. ut convocationem, ita & miſſio-
nem ad ſynodum penes Eccleſiam eſſe.
„ id probat ex Act. 15. 2. 3. theſ. 28. perſonis
„ eccleſiaſticis jus definiendi ex Dei verbo
„ aſſeritur. th. 29. Laïci admittuntur, ſed
„ vocati, ſelecti, miſſi ab Eccleſia. Reliquo
populo judicium privatum attribuitur.
„ th. 30. Magiſtratus Chriſtianus intereſ-
„ ſe dicitur, non tantum ut quilibet Chri-
ſtianus,

ſtianus, ut auditor, teſtis, & approbator, "
ſed ut Chriſtianus Magiſtratus, id eſt, ut "
tutor & *defenſor* concilii, quique ſua "
auctoritate ordinem tueatur, turbas & "
turbatores reprimat, & ut omnia hone- "
ſte legitimeque fiant proſpiciat. Hactenus nihil video quod Vedelio faveat. ſed quæ ſequuntur ad ſui defenſionem haud-dubie tracturus eſt. Videamus: Quin, "
qui *conſulatur* (ait auctor) *ſententiam di-* "
cere rogetur, imo, *ſi opus fuerit, ſuffra-* "
getur. & poſtea: rerum cognitor, & *ju-* "
dex ſuo modo eſſe *debet*, & *ſuffragator* "
eſſe *poteſt*. Hic tria video Magiſtratui, "
ſub diverſis clauſulis, tribui. 1. Ut conſultus & rogatus ſententiam dicat. Ea *ſententia*, quum auctor eam à *ſuffragio*, ut minus quiddam, per voculam *imo*, manifeſte diſcriminet, nihil aliud quam conſilium, vel votum, ut vocant, deliberativum ſignificare poteſt. Hoc concedimus. 2. Ut rerum cognitor & judex ſit ſuo modo. Quod *judicium*, quum & ipſum à *ſuffragio* diſtinguat, nam cognitorem ac judicem ait eſſe *debere*, ſuffragatorem vero eſſe *poſſe*, non poteſt eſſe aliud quam judicium diſcretivum: nam definitivum cum ſuffragio coincidit. Et illud, *ſuo modo*, diſerte oſtendit, non judicare Magiſtratum eo modo quo Eccleſiaſticos. 3. Ut ſuffragari poſſit, videlicet, *ſi opus ſit*. Hic ſuffragium deci-

ſivum

ſivum intelligi dicet Vedelius. Nec abnuo. ſed primo, hoc ordinarii juris non eſſe oſtendit auctor, quum ait, *ſi opus ſit:* deinde, vocabulo *poſſe* ſua quoque emphaſis eſt. Hunc ergo ſenſum videntur habere verba auctoris: poſſe incidere caſus circa res eccleſiaſticas, in quibus Magiſtratus, quid commode fieri, quid impetrari, pro locorum, temporum, ac aliarum circumſtantiarum ratione, poſſit, &c. neceſſario ſint conſulendi: imo & poſſe eis in nonnullis negociis ſuffragium & deciſionem, una cum nonnullis ſynodi membris ad id deputatis, quaſi per compromiſſum, à ſynodo, aut à partibus, ſynodo annuente, deferri. Prout interdum perſonales controverſiæ ad ſynodum deferuntur, quæ facilius ab ejuſmodi delegatis quàm ab ipſa ſynodo dirimuntur. Hæc vis videtur eſſe verborum, *ſi opus ſit*, &, ſuffragatorem eſſe *poſſe.* Nimirum, non quoties ipſi libet, ſed, cum partes in id conſentiunt, aut id à ſynodo ut faciat rogatur. Porro, concluſio auctoris negocium totum dirimit. Aut ſaltem (ait) ei perſuaderi ex
„ verbo Dei oportet, ex vero, & juſto, &
„ bono eſſe quæ decreta ſunt, nempe, ne
„ cœcus ſit alienæ ſententiæ & libidinis
„ ſuſceptor & adminiſter. Optime hæc.
Quæ docent, auctorem, ſi hoc *ſaltem* fiat, Magiſtratui ſatisfactum putare.

Octa-

Octavus Vedelii teſtis eſt Cl. Rivetus in decalogum. Neque hic locum quem deſignet Vedel. aſſcripſit. Puto autem reſpici quintum præceptum, ibi enim de Magiſtratu agitur. Quæramus ergo quid hac de re dicat. p. 261. ait, penes Magiſtratum eſſe poteſtatem ſynodos convocandi, & in iis *externi ordinis cauſa* præſidendi. p. 263. *Deciſio & judicium* controverſiarum fidei (attende Vedeli) ipſis (Magiſtratibus) *non ſunt arroganda*, niſi ratione quædam *ad officium illorum limitata*, Id eſt, ut *non* ipſi quidem pro auctoritate *judicent*, ſed judicium ex verbo Dei fieri *procurent*, ipſique, priuſquam ſua auctoritate utantur, in *ſanciendis judiciis Synodorum* quæ convocaverunt, certi ſint ex verbo Dei de eorum veritate, ut in conſcientia perſuaſi, nihil temere aggrediantur. Hic nihil aliud quam convocatio ſynodi (eo ſenſu quem Synopſis nos docuit, ei enim manus ſuæ ſignum Cl. Rivetus appoſuit) præſidentia externi ordinis cauſa, judicium diſcretivum, procuratio judicii deciſivi, & ſubſequens ejus approbatio, quæ *ſanciendi* verbo deſignatur, Magiſtratui tribuuntur, quæ nihil ad *ἐπιχειρήματα* Vedeliana.

Nonus Vedelii teſtis eſt Cl. Walæus, de Officio Miniſtrorum. Nec hic vacavit homini occupato locum aut verba

nota-

notare. Nos ergo hoc etiam tædium devoremus. p.201. ait Walæus: „Cenſemus „ergo formam celebrandi ſynodos maxime ordinariam & fructuoſam eſſe, ut „videlicet, conſentiente Magiſtratu, *ipſa* „*Eccleſiæ aut earum Rectores*, nonnullos „ad eas ablegent, quos ipſæ optime norint, & quibus negocia ſua credant, ut, „conſentientibus Eccleſiis, & veluti Ec„cleſias repræſentantes, accedente Ma„giſtratus auctoritate, in iis compareant. „p.202. Secundo, illud quoque eſt muneris ipſorum (Magiſtratuum) ut in con„ventibus illis per ſe aut per delegatos „ſuos eatenus præſideant, & *procurent*, „ut omnia ordine & juxta regulam verbi „divini peragantur, ut omnes pertinaces „& refractarii cohibeantur, & in charita„te, ac debita cum manſuetudine, inda„gatio controverſiarum è ſolo verbo Dei „fiat. Hactenus nihil nobis officit VValæus. Quod vero p. 204. &c. judicium etiam definitivum Magiſtratui tribuere videatur, id cum ea reſtrictione accipimus quam in Synopſi à Cl. Walæo approbata, conſideravimus. Certe, nec ſynodus Nationalis, cui ipſe interfuit, Magiſtratui votum decîſivum dedit, & in Cenſura Confeſſionis Remonſtrantium, cujus ipſe cum clariſſ. ſuis collegis auctor eſt, ad ſuum quendam modum & gradum hac in parte Magiſtratus limitatur,

mitatur. Denique, ſiquid peculiare de hoc negocio haberet ille tractatus Clar. Walæi, id ad communem omninm Eccleſiarum ordinem reducendum eſſet; nam & tempus quo inſignis ille tractatus ſcriptus eſt, conſiderationem meretur, nimirum ante ſynodum, cum negocia valde turbulenta eſſent, & locus, nempe Provincia *Zeelandiæ*, quæ peculiarem ſuum quendam Ordinem Eccleſiaſticum habet, qui pro Ordine omnium Eccleſiarum nunquam eſt receptus.

Decimus Vedelii teſtis eſt Ameſius contra Bellarm. Diſputat autem contra eum ſuper hoc negocio, tomo Bellarmini enervati 2. in qua diſputatione ſunt nonnulla in quibus ἀκρίβειαν deſideres, ſunt quæ laudes. Quale eſt illud cap. 1.
Falſum eſt, congregationem in nomine “
Chriſti pendere ſemper ab auctoritate “
hujus aut illius hominis ſub Chriſto. “
Duobus enim vel tribus ex conſenſu, “
tribuitur facultas ſeſe hoc modo congre- “
gandi, ſine alterius cujuſpiam hominis “
auctoritate. item: Nemo unus eſt qui “
ordinariam auctoritatem a Chriſto acce- “
pit congregandi homines in ejus nomi- “
ne ex omnibus partibus mundi in unum “
conſeſſum. item: cum fatetur ordinis “
cauſa ordinariam convocationem con- “
ciliorum (provincialium) primariarum “
civi-

notare. Nos ergo hoc etiam tædium devoremus. p. 201. ait Walæus: Cenſemus ergo formam celebrandi ſynodos maxime ordinariam & fructuoſam eſſe, ut videlicet, conſentiente Magiſtratu, *ipſæ Eccleſiæ aut earum Rectores*, nonnullos ad eas ablegent, quos ipſæ optime norint, & quibus negocia ſua credant, ut, conſentientibus Eccleſiis, & veluti Eccleſias repræſentantes, accedente Magiſtratus auctoritate, in iis compareant. p. 202. Secundo, illud quoque eſt muneris ipſorum (Magiſtratuum) ut in conventibus illis per ſe aut per delegatos ſuos eatenus præſideant, & *procurent*, ut omnia ordine & juxta regulam verbi divini peragantur, ut omnes pertinaces & refractarii cohibeantur, & in charitate, ac debita cum manſuetudine, indagatio controverſiarum è ſolo verbo Dei fiat. Hactenus nihil nobis officit VValæus. Quod vero p. 204. &c. judicium etiam definitivum Magiſtratui tribuere videatur, id cum ea reſtrictione accipimus quam in Synopſi à Cl. Walæo approbata, conſideravimus. Certe, nec ſynodus Nationalis, cui ipſe interfuit, Magiſtratui votum deciſivum dedit, & in Cenſura Confeſſionis Remonſtrantium, cujus ipſe cum clariſſ. ſuis collegis auctor eſt, ad ſuum quendam modum & gradum hac in parte Magiſtratus limitatur,

mitatur. Denique, ſiquid peculiare de hoc negocio haberet ille tractatus Clar. Walæi, id ad communem omninm Eccleſiarum ordinem reducendum eſſet; nam & tempus quo inſignis ille tractatus ſcriptus eſt, conſiderationem meretur, nimirum ante ſynodum, cum negocia valde turbulenta eſſent, & locus, nempe Provincia *Zeelandiæ*, quæ peculiarem ſuum quendam Ordinem Eccleſiaſticum habet, qui pro Ordine omnium Eccleſiarum nunquam eſt receptus.

Decimus Vedelii teſtis eſt Ameſius contra Bellarm. Diſputat autem contra eum ſuper hoc negocio, tomo Bellarmini enervati 2. in qua diſputatione ſunt nonnulla in quibus ἀκρίβειαν deſideres, ſunt quæ laudes. Quale eſt illud cap. 1.
Falſum eſt, congregationem in nomine "
Chriſti pendere ſemper ab auctoritate "
hujus aut illius hominis ſub Chriſto. "
Duobus enim vel tribus ex conſenſu, "
tribuitur facultas ſeſe hoc modo congre- "
gandi, ſine alterius cujuſpiam hominis "
auctoritate. item: Nemo unus eſt qui "
ordinariam auctoritatem a Chriſto acce- "
pit congregandi homines in ejus nomi- "
ne ex omnibus partibus mundi in unum "
conſeſſum. item: cum fatetur ordinis "
cauſa ordinariam convocationem con- "
ciliorum (provincialium) primariarum "

civi-

civitatum Epiſcopis fuiſſe olim ab aliis Epiſcopis mandatam. Capite ſecundo, Bellarmino objiciente: Veteres teſtari paſſim, concilia eſſe *Epiſcoporum*, non negat dictum Bellarmini, ſed explicat: hoc eſt, inquiens, *Presbyterorum* præcipue, & maxime eorum qui inter eos eminebant, & ordine primi fuerunt. Objiciente adverſario, Epiſcopi *ſoli* ſunt perſonæ eccleſiaſticæ & publicæ: reſpondet: Eccleſiaſticæ & publicæ perſonæ ſunt omnes *presbyteri:* ſunt inſuper tales, quicunque *Eccleſia nomine* ad publicum aliquod negocium *delegantur*. Objicienti adverſario: Non omnes doctos poſſe admitti: reſpondet: inter ſolos Epiſcopos, & omnes doctos, dari tertium, doctos ſcil. illos, præſertim presbyteros qui *ab Eccleſiis delegantur*. Et mox: neque dicimus omnes promiſcue eſſe admittendos, neque omnes admiſſos pro numero capitum jus habere ſuffragii, ſed potius pro numero *Eccleſiarum à quibus delegantur*, Et c. 4. Præſidentiæ, inquit, ratio duplex eſt, politica & eccleſiaſtica, politice præſidebat ſummus Magiſtratus, eccleſiaſtice autem ille vel illi, quibus munus illud (ordinis, non poteſtatis reſpectu) communi conſenſu deferebatur. Tantum de Ameſio, qui nuſquam, quod ſciam, Magiſtratui jus ſuffragii tribuit.

Un-

Digitized by Google

Undecimus Vedelii teſtis eſt Alſtedius. Apud eum autem hæc inveniuntur, de Conc. l.3. c.7. §.2. Actus ordinis eſt plane politicus, & *cauſa* eccleſiaſtica. Itaque Magiſtratum ſummum oportet eſſe præſidem ad *ordinis humani* conſervationem, ad res vero *fidei* & Eccleſiæ, id eſt, ad ipſam *cauſam*, præſidem electivum, nempe Eccleſiaſticum. Et mox: Hujus autem præſidis (politici) eſt concilium à ſe convocatum regere, & defendere, hoc eſt, curare pacem internam & externam concilii, atque adeo rixantes coërcere, vocatos adeſſe cogere, *decreta* à majori & meliori parte *approbare*, approbata publico edicto ſancire & ſervari curare, edicta denique non obſervantes punire. (de voto deciſivo nihil) ibid. §.8. Præſidentiam politicam concedimus principi in ſynodo, Eccleſiaſticam non item. ſufficiunt hæc ad quæſtionem quintam.

QUÆSTIO VI.

An Magiſtratus circa res Eccleſiaſticas habeat poteſtatem cum imperio conjunctam & coactivam in Paſtores Eccleſiæ.

NE immoremur ſententiæ Bellarmini, quam una cum Vedelio damnamus,

namus, videamus potius quid ipſe hac de re ſentiat, & quomodo ſententiam
„ ſuam explicet ac ſtabiliat. Magiſtratus,
„ inquit, circa res Eccleſiaſticas habet po-
„ teſtatem cum imperio conjunctam &
„ coactivam in Paſtores Eccleſiæ, & quaſ-
„ vis perſonas Eccleſiaſticas. Concedimus hanc propoſitionem, modo 1. poteſtas ea intelligatur eſſe politica, non Eccleſiaſtica. 2. è converſo intelligatur, Paſtores habere poteſtatem *coactivam ſpiritualem*, quod nos docuit Vedel. Reſp. ad Notas Trigland. quæſt. 5. ea autem ad omnia Eccleſiæ membra extenditur, ne Magiſtratibus quidem exceptis. 3. poteſtas quam Vedel. Magiſtratui in Paſtores tribuit, etiam intelligatur ei competere in Profeſſores Theologiæ, imo multo major, ut mox demonſtrabimus. In explicatione quam Vedelius propoſitioni ſuæ ſubnectit, duo maxime conſideranda veniunt. 1. hypotheſes ſeu caſus in quibus poteſtas hæc à Magiſtratu exercenda ſit, 2. qualis ſit ea poteſtas. In hypotheſibus ſuis ita Paſtores Eccleſiæ, conſuto è variis auctorum pannis centone, depingit, ut nihil illis horribilius, nihil ſceleratius excogitari poſſit. Non tangam illam camarinam. Sed unum interrogo Vedelium, an illa omnia ſcelera, etiam proditionem, putet eſſe res eccleſiaſticas? nam de po-

de poteſtate Magiſtratus circa res Eccleſiaſticas propoſitio ejus loquitur: exegeſis autem de omnium flagitiorum colluvione agit. Quis non obſtupeſcat ad tantam hominis amarulentiam? quem & meminiſſe oportebat, hæc omnia, mutatis mutandis etiam Profeſſoribus applicari poſſe. Imò juſto Dei judicio factum eſt, ut ipſe hæc Profeſſoribus applicarit. Ait enim, unius è graviſſimis delictis, puta, maledicentiæ in Magiſtratum, in ſcriptura falſos Doctores reos peragi, veros autem Doctores (è quibus adducit Sibr. Lubbertum) dicere, hoc grave crimen eſſe & non ferendũ in republ. bene conſtituta. Ubi ſi vocem *doctorum* eodem utrobiq; modo ſumit (quod oppoſitionis lex poſtulat) per falſos Doctores falſos Profeſſores, non autẽ Paſtores, nobis depinget. Sibrandus enim Profeſſor fuit, nõ Paſtor. Tale eſt & quod ex Beza citat: Magiſtratum habere poteſtatem puniendi bono ordine Doctores obſtinatos, fideliter non exequentes officium, item falſos. Quæ non Paſtores, ſed Profeſſores tangent, ſi juxta diſtinctionem Vedelianam, aliud eſt Doctor, aliud Paſtor. Niſi hanc nobis legem ſine ſuffragio ferat Vedelius, ut ſiquid malum, acerbum, & atrox de Doctoribus dicatur, de Paſtoribus dictum intelligatur, ſiquid præ-

clari,

clari, eximii, excelſi, de clariſſimis dominis Profeſſoribus. Hæc paucis ad hypotheſes Vedelianas. Jam ipſum poteſtatis genus, quod Magiſtratui in Paſto-
„ res attribuit, videamus. Magiſtratus,
„ inquit, eſt, non tantum monere & hor-
„ tari Paſtores ad officium ſuum, & qui-
„ dem recte atque ſecundum præſcriptum
„ verbi divini faciendum; ſed etiam id ip-
„ ſum cum imperio præcipere, &, ſi obedi-
„ re nolunt, poteſt eos in ordinem redige-
„ re, & cogere ut officium recte, vigilan-
„ ter, impigre, fideliter faciant, atque à
„ malis & ſcandaloſis actionibus abſtine-
„ ant. (fiant hæc, obſervato bono ordi-
„ ne, ut Beza ait. Non abnuimus.) Adeo-
„ que pro delicti ratione poteſt in eos ani-
„ madvertere civiliter, efficere, ſeu man-
„ dare ut ſuſpendantur aut removeantur
„ ab officio. Hic duo pœnarum genera recenſentur, civile, & Eccleſiaſticum. Civilem pœnam civili Magiſtratui libenter tribuimus, in omnes qui eam fuerint commeriti, ſive laïcos, ſive clericos, ut loquuntur. Eccleſiaſticam pœnam à ſola Eccleſia infligi poſſe dicimus. Ad eam pœnam pertinet ſuſpenſio & remotio. Licet non negemus, Magiſtratus eſſe, curare ut ea per legitima media fiat, ſi Eccleſia officio ſuo hac in parte deſit. Quæ poteſtas objectiva eſt, non formalis. Sed præſtat conſiderare quæ

tam

tam ſuis quam aliorum verbis Vedelius de hac re dicit. Ait, Magiſtratus eſſe efficere ſeu mandare ut (Paſtores qui officium non faciunt) ſuſpendantur aut removeantur ab officio. Ubi primo, nimis rigidus eſt iſte Profeſſor, neque in ordinem ſuum illam legem ſtatui, ut opinor, vellet. Sunt enim media quibus Eccleſia uti debet, ut eum qui officio ſuo deeſt, ad id faciendum reducat, neque ſtatim ad extrema proſiliendum. 2. Magiſtratus eſſe, *mandare* ut Eccleſia hæc faciat, non ita nude ponendum, ut Vedelius facit, ſed, ut Eccleſia cognita prius cauſa ad ferendam ſententiam procedat. Nam, ſi à cauſæ cognitone Eccleſiam removet, & ad nutum tantum Magiſtratus eam urere & ſecare vult, non poteſt evadere (modo ſua axiomata tueri velit) quin è miniſtris & ſenioribus Eccleſiæ faciat carnifices Magiſtratus. Quod non minus grave eſt, quam Magiſtratum facere carnificem miniſtrorum. Præſertim quando carnificinam jubentur exercere in proprios ſymmyſtas. Certe, nec damnare, nec punire vel Magiſtratui vel Eccleſiæ quenquam licet indicta cauſa. Hinc, ſi culpa quam Paſtor admiſit forte ſit politica, tamen de ejus veritate, hoc eſt de facto, Eccleſiæ conſtare debet, antequam ejus nomine, pœnam irroget Eccleſiaſticam.

Multo

Digitized by Google

Multo magis, ſi ſit mere Eccleſiaſtiça, in quo caſu proceſſus univerſus ad Eccleſiam ſpectat. videantur de tota hac re ordinis noſtri Eccleſiaſtici Canon. 79. & 80. hæc ad limitationem propoſitionis Vedelianæ. Qui poſtea ex Martyre in
„ 1. Sam. 8. p. 50. dicit, Miniſtros poſſe cor-
„ ripi à Magiſtratu & ſummoveri. Hoc jam multo amplius eſt, quam mandare ut ſummoveantur. Nos hoc negamus, idque hac ratione, quia ſummotio miniſtri eſt pœna eccleſiaſtica, quæ proinde à ſola Eccleſia infligi poteſt. Recte Voetuis de poteſt. Eccl. Diſp. 3. th. 2. ad
„ quæſt. 18. An poſſit (Magiſtratus) exau-
„ thorare miniſtros? Reſp. Eccleſiaſtice
„ non poteſt, quia non eſt Eccleſia; nec
„ politice propter Eccleſiaſtica, ſine ju-
„ dicio Eccleſiæ. Quia judicium ipſius
„ non eſt hic antecedens, nec illi ſunt
„ commiſſæ claves Eccleſiaſticæ. Imo, hoc ex Clariſſ. Riveto Vedelius, ſibi & Martyri contradicens, mox ipſe faſſurus eſt. Sed dictum Martyris conatur probare ex Bullingeri libro de Epiſco-
„ porum inſtitutione. Qui in libris re-
„ gum proditum ait, à ſanctis regibus
„ etiam ſummos ſacerdotes ab officio fuiſ-
„ ſe amotos, & alios in locum conſtitutos. Videtur autem reſpicere ad 1. Reg. 2. 35. ubi Salomo dicitur Sadocum ſummum Sacerdotem conſtituiſſe, depoſito Abjatha-

jathare. Sed errat in hujus loci ſenſu Vedelius, & erravit, ſi idem ſenſit, Bullingerus. Nam Sadocus jam ante, vivo Davide, conſenſu totius multitudinis fuerat factus ſummus ſacerdos, depoſito Abjathare, ut patet 1. Chr. 29. 20. 21. 22. itaque Salomo tantummodo factum hoc approbavit & executus eſt, eo tempore quo Abjatharus crimine læſæ majeſtatis ſe alligarat. Hoc Vedelium docere poterunt Interpretes Belgicæ noſtræ, à Synodo Nat. procuratæ, & ab Ordd. Gen. ſancitæ verſionis. Ut taceam Davidem & Salomonem fuiſſe prophetas, & totum quod in hac cauſa geſtum eſt, ab ipſo Deo multo ante conſtitutum ac prædictum fuiſſe. 1. Sam. 2. 30. & ſeqq. id autem nihil facit ad poteſtatem Magiſtratus ordinariam. Quæ ex auctoribus deinde accumulat, quatenus ſpectant pœnas politicas, quum extra controverſiam, apud nos quidem, ſint, prætterimus. Sed ad teſtimonia Bezæ & Riveti nonnihil ſubſiſtendum. Et Beza quidem dicit, Magiſtratus eſſe operam " dare, ut alii ſecundum praxin apoſtoli- " cam ſufficiantur in locum eorum (cri- " minoſorum miniſtrorum) recte hoc. Sed " inde minime ſequitur penes ipſum Magiſtratum eſſe depoſitionem miniſtrorum. Ejuſmodi enim depoſitio non eſt praxeos apoſtolicæ. Veniamus ad Cl.

Digitized by Google

Rivetum. is (ut reliqua, de quibus non eſt controverſia, omittam) ait in Decal.
,, p. 265. quod, quemadmodum Magiſtra-
,, tus paſcuntur *miniſterio* Paſtorum, ita
,, ipſi Magiſtratus paſcant miniſtros *impe-*
,, *rio*. Quæ verba ita admittimus, ut vox *miniſterii* non excludat poteſtatem coactivam ſpiritualem, quæ teſte Vedelio, miniſtris Euangelii convenit, & quidem in ſummos, & imos, quicunque membra Eccleſiæ ſunt. Deinde, ut *imperium* quo Magiſtratus paſcit miniſtros, intelligatur eſſe politicum, non Eccleſiaſticum. Nam Eccleſiaſticum *imperium* habet unicus noſter *Imperator* Chriſtus. Pulcherrime hoc explicant ſequentia apud Cl. Rivetum, etiam Vedelio citata.
,, Nam p. 262. Conſtitutos ait Principes
,, in iis quæ ad Deum ſpectant, quia pœ-
,, nis ſcitiſque *civilibus* (non dicit, Eccle-
,, ſiaſticis, qualis eſt ſuſpenſio, & depoſito
,, ab officio) providere debet, ut ſuo Ec-
,, cleſiæ miniſtri perfungantur in rebus di-
,, vinis officio. Et p. 267. (verba ſunt Ve-
,, delii) oſtendit quis ſit modus ordinarius
,, obſervandus à Magiſtratu in depoſitione
,, miniſtrorum flagitioſorum aut hæretico-
,, rum, nimirum VIA ECCLESIASTI-
,, CA, ſeu, ut ipſe loquitur, vocatis & con-
,, ſultis, qui *jus eligendi* habuerunt Rex
,, autem, inquit, ſive alius Magiſtratus, ut
,, non ordinat, ſic nec deponit *formaliter*,
ut ita

ut ita loquamur, vel adminiſtratorie per "
ſe ipſum: id tamen facit non ſolum con- "
ſilio, ſed mandato & auctoritate, qua iis "
mandare poteſt, *ubi ſubeſt juſta cauſa*, de "
miniſtro exauctorando, *penes* quos hæc "
poteſtas in Eccleſiæ viget. Hic Rivetus & "
electionem & depoſitionem formalem
Magiſtratui convenire negat. Quemadmodũ multo etiam apertius dicit p. 267.
Eadem enim inquit, eſt ratio remotionis "
quæ electionis. Si ergo formaliter non "
removet, ne formaliter quidem eligit.
Quod manifeſte eſt contra Vedelium. Ut mirum videri poſſit, quomodo clariſſ. ille vir in ſolutum potuerit accipere ea quæ Vedelius ad incruſtandam hanc contradictionem ipſi coram reſpondit. Verba Riveti ſunt in teſtimonio quod huic Diſputationi Vedelius præfixit:
Cum tamen mihi ſcrupulus quidam in- "
jectus fuiſſet ex eo, quod q. 3. ubi agi- "
tur de depoſitione miniſtrorum, non ob- "
jectivam ſolum, ſed etiam formalem po- "
teſtatem Magiſtratui tribueret, quum "
verba ex me citata q. 6. negarent eam "
Magiſtratui in eo convenire: eum plane "
mihi ſatisfeciſſe, cum id ita interpreta- "
tus eſt, ut ſpectaret tantum depoſitio- "
nem, quæ exercitium prohibet miniſterii "
in diſtrictu magiſtratus illius, & coerci- "
tionem externam: non autem poteſta- "
tem, qua ordinatio miniſtri, quæ fit à "
 ſolis

» ſolis paſtoribus, redderetur irrita, &
» Paſtor exautoratus fieret inhabilis ad
» prædicationem verbi & ſacramentorum
» adminiſtrationem, quam formaliter ſolis
» Paſtoribus aſſero, quibus competit ordi-
» natio; quemadmodū etiam ipſe q. 6. rem
» ex meis verbis interpretatur, & in iis ac-
» quieſcit. hæc inquam, non video quo pacto poſſint tueri aſſertionem quæſtionis tertiæ apud Vedelium, aut eam à contradictione cum iis quæ hac q. 6. ex Cl. Rivero tradit abſolvere. Nam, q. 3. tribuit Magiſtratui *formaliter omne illud jus quod habent Paſtores, in vocandis & deponendis aliis paſtoribus*, & dicit, *Magiſtratus una cum miniſtris id omne habere:* at in hoc interpretamento jus Magiſtratus à jure miniſtrorum manifeſte diſcernit. Ne jam dicam diſtinctionem ipſam prorſus inanem eſſe, qua innuitur, id quod Magiſtratus hac in parte agit contineri ſuo tantum diſtrictu, quaſi vero quod miniſtri agunt ulterius ſe extendat: haud ita eſt. Nam, ut Magiſtratus tantum in ſuo diſtrictu juriſdictionem habet, ita miniſtri tantum in ſua Eccleſia: &, ut per depoſitionem à miniſtris factam, ſi jure facta ſit, Paſtor exautoratus redditur inhabilis ad alibi prædicandum verbum Dei, niſi Eccleſiæ ſuæ fuerit reconciliatus, ita per prohibitionem illam Magiſtratus, modo jure & ordine

ordine facta ſit, idem fit analogice. Si in vel ab Eccleſia, vel à Magiſtratu injuriam paſſus eſt, neuter poteſt eum ad miniſterium alibi obeundum inhabilem reddere: de coërcitione externa quod additur, ocioſe fit: nam eam Magiſtratus cum paſtoribus communem non habet, ſed ſibi propriam. Pergit: Alioquin Orthodoxi Theologi docent, Magiſtratum extraordinarie etiam, ſeu abſque præcedaneo judicio eccleſiæ, in Paſtores animadvertere poſſe, quando manifeſta flagitia aut ſcelera commiſerunt. Reſp. Poſſe in hoc caſu Magiſtratum in Paſtores per ſe animadvertere pœnis politicis, fatemur: ſed negamus hoc extraordinarium eſſe. imo ordinarie hoc ei licet. Sed poſſe Magiſtratum, Eccleſiaſticis judiciis bene conſtitutis, extra ordinem pœnas Eccleſiaſticas per ſe infligere, hoc negamus. Nam, ubi ordo & leges vigent, contra ordinem & leges agere, boni Magiſtratus non eſt. Sed affert pro ſe Diſput. Leyd. de Magiſtratu theſi 54. p. 8.19. Si Paſtor ſit ſeditioſus, ac manifeſtus pacis publicæ violator, ſummus Magiſtratus eum, interveniente ſubordinatorum procerum conſilio, poteſt eodem jure exauctorare, quo rex Salomon Abjatharem depoſuit. Reſp. Utinam Vedel. theſin præcedaneam attente legiſſet: potuiſſet ex ejus collatio-

ne intelligere, quemadmodum in exemplo Moſis, ita & in exemplo Salomonis aliquid peculiare eſſe: deinde, cum Salomo non exauctorarit proprie Abjatharem, ſed ejus exauctorationem duntaxat approbarit, & executionem ejus procurarit, ut ex annotatione ad illum locum docuimus (cujus annotationis, una cum cooperariis, ipſe ille vir Cl. qui illas theſes compoſuit, auctor eſt) nos etiam fatemur idem jus eſſe omni Magiſtratui, nempe, depoſitionem miniſtri legitime factam approbare & exequi curare. Pergit ex Cl. Walæo, qui ait,
,, propter notoria delicta, quæ ſimpliciter ci-
,, vilia ſunt, ſpeciatim ob proditionem,
,, &c. Paſtorem poſſe neci dari aut exilio
,, multari. (de hoc nulla eſt controverſia)
,, & conſequenter etiam deponi ſuo mi-
,, niſterio à Magiſtratu, etiam abſque præ-
,, cedente judicio Eccleſiaſtico, quando-
,, quidem omnia judicia Eccleſiaſtica in
,, eo conveniunt. Reſp. Ignoſcat mihi Cl. Walæus, ſi in hoc ab eo diſſentire cogar. Ut enim politice puniatur talis à Magiſtratu, in eo fateor omnia Eccleſiaſtica judicia convenire, non autem, ut puniatur à Magiſtratu eccleſiaſtice, maxime ubi judicia eccleſiaſtica ſunt recte conſtituta. Nec me movet adjecta ratio) in
,, hæc verba: Hæc eſt ſententia hierarchiæ
,, antichriſtianæ, non autem Eccleſiarum refor-

Digitized by Google

reformatarum; quaſi tales primo degra- "
dandi eſſent à ſuis ſpiritualibus, quos "
vocant, & poſtea tradendi Magiſtrati- "
bus ſecularibus, ut puniantur. Diverſa "
enim hic ratio eſt. Pontificii negant po-
liticam pœnam clerico infligi poſſe, niſi
degradato. Hoc nos non dicimus de mi-
niſtro non depoſito. Sed depoſitionem
dicimus ad Eccleſiam, non ad Magiſtra-
tum ſpectare. Sive autem ea officium in
eo faciat, ſive non, manet Magiſtratui
jus politice puniendi. Quod porro ex
Iunio, Bogermanno & Bucero adjicit, "
Deficiente Eccleſia ab officio, poſſe Ma- "
giſtratum extra ordinem procurare ut ad "
officium redeat, &c. id ita accipiendum, "
ſi omnia Eccleſiæ tribunalia deficiant.
Nam, ſi presbyterium v. g. officio deſit,
& claſſis aut Synodus ſit integra, nego
extraordinarium remedium quærendum
ad ſanandum presbyterium. Alioquin
ordinariorum mediorū nullus unquam
uſus eſſet. Et hæc etiam de quæſtione
ſexta.

QUÆSTIO VII.

An Magiſtratus curam gerere debeat, ne Miniſtri Eccleſiæ diſciplina Eccleſiaſtica abutantur & alicui injuriam faciant.

POſtquam Bellarmini & aliorum pontificiorum ſententiam adduxit, ipſe

,, ſuam ponit hunc in modum: Quemad-
,, modum Magiſtratus eſt operam dare, ut
,, diſciplina eccleſiaſtica à Chriſto inſtitu-
,, ta conſervetur: ita etiam ipſius eſt, ut illa
,, legitime à paſtoribus in conſiſtoriis &
,, aliis judiciis eccleſiaſticis exerceatur, ef-
,, ficere ne abuſus circa eam committan-
,, tur; impedire ne cuiquam injuria fiat in
,, ejus adminiſtratione; (hæc omnia, cum
de cura objectiva commode poſſint in-
,, telligi, concedimus) Et, ſiquidem inju-
,, ria alicui fiat aut facta ſit à Paſtoribus
,, per exercitium ſeu potius abuſum diſci-
,, plinæ Eccleſiaſticæ ſive in conſiſtorio, ſi-
,, ve in Synodo; licet ei apud Magiſtratum
,, conqueri, ut cuſtodem ac vindicem ex-
,, terni ordinis in Eccleſia à Chriſto inſti-
,, tuti: & tunc tenetur Magiſtratus ex of-
,, ficio proſpicere conquerenti. Hæc ulti-
ma, ut in caſu extraordinario, videlicet
ubi non ſunt conventus eccleſiaſtici ad
quos appellari poſſit, licere concedo,
ita, ubi illi ſunt recte conſtituti, iis poſt-
habitis ad Magiſtratum licere recurrere,
prorſus nego. ideoque vehementer cul-
pandum hic Vedelium dico, qui quod
extraordinarium eſt ponat, quod ordi-
narium diſſimulet. Quod dixi probat
Ordinis noſtri Canon. 31.

,, Siquis ſe ſententia minoris congrega-
,, tionis gravatum *conqueratur*, ei libera
,, erit ad majorem congregationem *Eccle-*

ſiaſticam

Digitized by Google

ſiaſticam provocatio. Id quod pluribus „ ſuffragiis fuerit concluſum, fixum ac ratum habebitur: niſi ſi demonſtretur repugnare verbo divino, aut canonibus in hac generali ſynodo conſtitutis, quoad iidem per ſynodum generalem aliam non fuerint mutati.

Ex hoc canone patet, quiſnam ſit Eccleſiarum reformatarum ordo in hoc negocio. At per Vedelii ſententiam approbatur praxis Arminianorum, quam reperire eſt in prima ipſorum, ut vocant, remonſtrantia, à qua Remonſtrantium nomen acceperunt. p. 12. ita loquuntur:

Et, quoniam hic libellus facile ſiniſtrorſum accipi, & inde occaſio ad Remōſtrantes accuſandos ſumi poterit: Rogant ipſi præterea, ut veſtræ nobiles poteſtates eos ac eorum miniſteria in tutelam ſuam recipiant adverſus omnes eccleſiaſticas cenſuras, quæ propter hunc & ejus appendices adverſus eos ſimul, vel adverſus quenquam illorum ſigillatum inſtitui poſſent.

Hanc illorum petitionem reformati miniſtri improbant p. 33. Multo minus, inquiunt, poſſumus probare, quod veſtrarum nobb. poteſtatum tutelam adverſus omnem cenſuram eccleſiaſticam implorant. Si enim doctrinas & actiones ſuas judicio communis eccleſiæ ſubjicere

„ jicere volunt, non eſt quod ullas cen-
„ ſuras Eccleſiaſticas timeant. Sin autem
„ contra judicium & aſſenſum eccleſia-
„ rum reformatarum aliqua nova dog-
„ mata introducere appetunt, non tantum
„ iniquum eſt, quod petunt ab omni ec-
„ cleſiaſtica cenſura eximi, & nihilomi-
„ nus eccleſiæ reformatæ miniſtri haberi,
„ ſed & votum eorum pugnat cum veſtra-
„ rum Nob. pot. decreto ſigillo confir-
„ mato, & Eccleſiis conceſſo, quo ſyno-
„ dis & claſſibus auctoritas conceditur
„ eccleſiaſtice agendi contra eccleſiaſtas,
„ qui ſe doctrina aut moribus inordinate
„ gerunt, quemadmodum neque Eccle-
„ ſiæ ejuſmodi eccleſiaſticis cenſuris ad-
„ verſus miniſtros diſſolutos deſtitutæ, in
„ puritate doctrinæ, ἐυταξίᾳ & pace con-
„ ſervari poſſunt.

Ut hunc ictum declinet Vedel. leviſ-
ſima diſtinctione defungitur, dum ita
„ ait: Ubi obſervetur, nos non dicere, li-
„ cere alicui cui injuria facta eſt per abu-
„ ſum poteſtatis clavium, *provocare* ad
„ Magiſtratum, ſeu *appellare*, ut ad *judi-*
„ *cem* ſuperiorem; ſed tantum *conqueri*
„ apud eum ut *cuſtodem* & *vindicem* utriuſ-
„ que tabulæ legis. Nam *non poteſt* pro-
„ prie loquendo *provocari* ad Magiſtra-
„ tum à ſententia poteſtatis clavium.
„ Etenim diſciplina Eccleſiaſtica non exer-
„ cetur à Miniſtris nomine Magiſtratus,
ſed

ſed Chriſti, qui illius auctor, eſt, & à quo "
immediate poteſtas clavium eſt commiſ- "
ſa Eccleſiæ. "

Diſtinctio Vedeliana in eo conſiſtit, quod non liceat ad Magiſtratum appellare vel provocare, ſed apud eum conqueri, nec ut apud judicem, ſed ut apud cuſtodem & vindicem. Quaſi vero mutatis nominibus res ipſa mutetur. Sive eum dicas te querelam, ſive appellationem inſtituere, ſive Magiſtratum ut judicem, ſive ut vindicem conſiderare, res eadem manet, quando ordo Eccleſiæ, & claves regni cœlorum pedibus proculcantur & deridentur. Quæ enim neceſſitas appellandi, ubi oſtium aperitur per ejuſmodi *querelam* appellationem proprie dictam negligendi & vilipendendi? hoc primum. Deinde, Canon quem citavimus hanc eluſionem elidit. In eo enim dicitur: Siquis ſe gravatum *conqueratur* (nota) ei libera erit ad majorem congregationem *Eccleſiaſticam* provocatio. Non dicitur, is *querelam* ſuam ad Magiſtratum deferat. 3. Etiam Arminianorum petitio hoc modo excuſatur. nam & illi appellationis voce abſtinuerunt, & tantummodo in tutelam Magiſtratuum recipi petierunt. 4. Prodit ſe paſſim ſuo indicio Vedelius, cum hæc, diſtinctionis ſuæ imaginariæ oblitus, toties confundit. Nam, ubi ſen- "

 tentiam

„ tentiam Bellarmini affert, nempe, non
„ permittere eum ulli, ut, ſi ſentiat ſibi per
„ cenſuram Eccleſiaſticam injuriam fieri
„ *conqueri* poſſit apud Magiſtratum, nec
„ etiam Magiſtratui concedere, *ut cau-*
„ *ſæ cognitionem* ſuſcipiat, & *conquerenti*
„ proſpiciat, addit, inde fluere, quod ſta-
„ tuit Bellarm. Non licere ulli mortalium
„ *appellare* à judicio papæ. Ubi evidentiſ-
ſime apparet, *querelam* hanc & *appella-
tionem* Vedelio unum & idem eſſe. Quia
enim negat Bellarm. *Appellationem* à
judicio papæ licitam eſſe, inde conclu-
dit Vedel. eum negare de eo *conqueri*
licere apud Magiſtratum. Quod non
poſſet facere, niſi ſtatueret *querelam*
ejuſmodi ſpeciem quandam appellatio-
nis eſſe. In ſequentibus etiam hanc af-
fert ſententiam pontificiorum, eamque
rejicit: Non conquerendum, neque *ju-
dicandum* eſſe de ſententia injuſta epiſ-
copi. Ergo ipſe de ea non ſolum *conque-
rendum* ſed etiam *judicandum* eſſe, à
Magiſtratu videlicet, nam de eo agi-
tur, cenſet. Poſtea ex Bellarmino hæc
„ verba affert, & improbat: Non poterit
„ princeps temporalis *judicium ſibi ſumere*
„ *de ſpiritualibus rebus*, aut ſpiritualem
„ principem *judicare*. Ergo Vedelius putat
principẽ hoc poſſe. Et proinde ut *judicem*
eum conſiderat. Quod ipſum poſtmodũ
diſertis verbis dicit, cum ait ex Sibran-

do,

do, à Synodi ſententia ad ſupremum Magiſtratum *provocari* poſſe. Item ſuis verbis: Miniſtros hac ratione videre ſe Magiſtratum habere qui de jure divino, inſpector & IUDEX ſit actionum ſuarum ETIAM HAC IN PARTE. Quid expreſſius dici poteſt ad exibilandam diſtinctionem Vedelianam? Et profecto, ipſe eam ſe flocci facere, & tantum dicis cauſa adhibuiſſe eo oſtendit, quod cum ad praxin ventum eſt, *provocandi, appellandi, judicandi, judicio experiendi* vocibus non ſolum libere, verum etiam perpetuo utatur, nulla facta mentione *querela*. Prout in cauſa miniſtri cujuſdam in Friſia officio moti, conſultus: An alicui qui judicio Eccleſiaſtico eſt gravatus, liceat ab eo judicio *provocare* ad judicium politicum, ſive Chriſtianum Magiſtratum? reſpondit, *Affirmativam* veram eſſe. Idque ſeptem rationibus conatus eſt probare. In quarum prima repetitur vocabulū *provocandi*, in ſecunda eſt vocabulum *appellandi* bis, *provocandi* quinquies. In tertia, quinta, ſexta, ſeptima ſimiliter. Et in tertia quidem, non ſolum licitum eſſe ait *provocare*, ſed etiam illicitum illud omittere. Neque aliter ad eandem quæſtionem Maccovius, qui & *Majeſtatem bis lædere* ait eos qui hoc negabant (erant autem Deputati Synodi Friſicæ) & ſcri-

ptum

ptum eorum mereri ut *in ignem per carnificem* mittatur. ratione ſeptima. quod tamen ſcriptum à Facultatibus Theologicis trium Academiarum, Leydenſis, Ultrajectinæ, Groninganæ approbatum, opinio autem Vedelij & Maccovii diſertis ac graviſſimis verbis condemnata eſt. Verum de hoc negocio alias, & juſto fortaſſis opere. Hoc obſerva: ſi inquiſitoria hæc Maccovii ſententia locum apud Magiſtratum, & rogum ac carnificem paratum inveniet, diſputationem hanc Vedelii flammas evadere non poſſe: quia in ea negatur à judicio Eccleſiæ ad politicum *provocatio*, & ſic, ſecundum Maccovium, Majeſtas læditur.

Poſtquam rem ut eſt enucleavimus, facile erit reſpondere ad auctoritates quas pro ſua opinione Vedelius adducit. Citat ergo Martyrem, Piſcatorem, Juellum, Sibrandum, Rivetum. Sed nemo ex illis, iis quidem locis quæ Vedelius citat (nam de Sibrandi alio quodam loco cujus jam mentionem fecimus, mox videbitur) dicit licere querelam de conſiſtorio ad Magiſtratum deferre, ubi eccleſiaſticæ appellationis copia eſt. Imo nihil de querela, nihil de appellatione, nihil de judicio Magiſtratus circa talia dicunt. Itaque incaſſum eorum teſtimonia accumulantur. Tandem

dem omnium apertiſſime Bezam de his ſcripſiſſe ait. audiamus: Cum etiam, (ait ille) à recte conſtituto conſiſtorio poſſit reis delatis injuria fieri; in anguſtioribus territoriis citra ullam ordinis eccleſiaſtici violationem, Chriſtianus Magiſtratus, ut tabulæ utriuſque & eccleſiaſticæ ἐυταξίας cuſtos & vindex, proſpicere poteſt conquerentibus. Hic reſpondeo, Vedelium, ſi hunc locum omnium apertiſſime pro ſe facere putet, magna inopia probationum laborare. cum enim quid ordinarie faciendum ſit ei docendum eſſet, extraordinarium & unicum caſum ex Beza affert. Nempe, hoc fieri poſſe in anguſtioribus territoriis. Ubi indagato opus eſt, quid Beza intelligat per anguſtiora territoria? ſi enim talia territoria (ut videtur) intelligit, in quibus, ob eorum anguſtiam, majores conventus eccleſiaſtici non celebrantur, nec eccleſiaſticæ appellationis ad aliud territorium locus invenitur, ſciat Vedel. tale territorium in noſtris regionibus nullum eſſe. Nam omnes vel minimæ Eccleſiæ claſſibus, claſſes ſynodis ſubjectæ ſunt. Et Eccleſiæ minoris territorii claſſi ac ſynodo alicujus territorii vicini, citra præjudicium temporalis dominii, adjunguntur. quod non dubito etiam in Gallia & alibi fieri. Itaque caſus ille Bezæ nuſquam facile

reperie-

reperietur: niſi vel ipſi territoriorum Domini impediant Eccleſiarum ſuæ ditionis cum vicinis conjunctionem, ut ipſi ſibi in eas dominium arrogent, vel per bella, &c. conjunctiones illæ impediantur, quo ultimo in caſu ut defectus ille aliquo modo à Magiſtratu, cum neceſſitas poſtulet, ſuppleatur, non abnuimus. Poſtquam Bezæ teſtimonium excuſſimus, reſponſum eadem opera eſt ad Cl. Profeſſorum Leydd. Diſput. 48. theſ. 19. Ubi Bezæ verba afferuntur. Sed quæ Vedelius citat è Diſp. de Magiſtratu (eſt autem Diſp. 50.) theſ. 47. ea non intellexit, ut perſpicuum faciam. verba
„ ſunt: Proprie jus eſt penes Paſtores di-
„ ſciplinam eccleſiaſticam, una cum ſuo
„ presbyterio, ex fidei & ſacræ doctrinæ
„ analogia decernendi. Magiſtratus vero,
„ penes quem eſt ſumma imperii poteſtas,
„ diſciplinam illam aut præſens approba-
„ re, aut abſens examinare poteſt, &, ſi-
„ quid in ea jure deſideretur, à Paſtoribus
„ exigere, ut illud ex verbi Dei analogia
„ addatur, vel emendetur. Reſp. 1. Quis non videt hic per diſciplinam ordinem eccleſiaſticum intelligi, non autem eam quam vocamus poteſtatem clavium, de cujus exercitio hic ſermo eſt? nam in principio theſeos ait illius diſputationis auctor: His tres aliæ differentiæ *de*
„ *rebus ad Eccleſiæ diſciplinam ſpectantibus*

an-

annectendæ ſunt. Primam ponit in diſciplina illa decernenda & approbanda, ſecundam in conferendis Eccleſiæ muneribus, tertiam in celebrandis conventibus eccleſiaſticis. Quid? hæccine omnia pertinent ad eam diſciplinam de qua hic agitur? minime gentium, ſed ad ordinem Eccleſiæ latè ſumtum. Senſus ergo verborum eſt: Ad paſtores & ſeniores pertinere, ordinis eccleſiaſtici conſtitutionem, quam deinde Magiſtratus aut approbare poſſit, aut curare ut à Paſtoribus emendetur, ſiquid in ea jure deſideret. Hæc nihil ad abuſum diſciplinæ proprie dictæ, nec ad perſonales provocationes aut querelas, ut cuivis perſpicuum eſt. Multo indignior eſt detorſio verborum Cl. Walæi, quæ citat è pag. 44. (nobis 30.31,) ubi expreſſe de caſibus extraordinariis loquitur, in quibus poſſit Magiſtratus cognitionem cauſarum excommunicationis ſuſcipere, &c. id vero ita explicat Vedel. quaſi caſus extraordinarius intelligatur, quando alicui injuria fit per diſciplinam eccleſiaſticam, quia id ſit extra, ſeu potius contra ordinem à Chriſto inſtitutum. itane vero definit caſum extraordinarium Walæus? nequaquam. Sed ita: quando non niſi per Magiſtratum oppreſſis poteſt proſpici. Id autem locum non habet ubi ad ſuperiorem conven-

ventum eccleſiaſticum bene conſtitutum patet provocatio. per eam enim oppreſſo proſpici poteſt. Secundum Vedelium autem, quandocunque quis à ſynedrio gravatur, caſus extraordinarius eſt, & nunquam ad ſuperiorem conventum eccleſiaſticum provocandum, ſed ſemper ad Magiſtratum confugiendum erit. Nam, aut juſte aut injuſte fecit conſiſtorium: ſi juſte, reo non appellandum ſed acquieſcendum eſt: ſi injuſte, en caſum Vedelii extraordinarium, qui ad cognitionem Magiſtratus ſpectat. Sic appellatio ad ſuperiorem eccleſiaſticum conventum nullum deinceps uſum habet. Quæcunque ex eodem Cl. Walæo poſtea congerit, ea accipimus, poſito eo quem Walæus ſtatuit caſu extraordinario. Non aliter. Dictum Sibrandi p. 151. quod poſtea citat, tale eſt, ut nec ipſum ſine contradictione, nec ejus probatio à Vedelio admitti poſſit: „ Si tamen „ (inquit) quod eſt humanum, in judicando „ erraverint patres in ſynodi congregatione, „ video tres vias quas in hoc caſu „ ſequi poſſumus. Una eſt, *provocatio à* „ *Synodo ad ſummum Magiſtratum*. Hoccine probas, Vedeli? at antea dixiſti, non licere alicui cui injuria facta eſt per abuſum poteſtatis clavium *provocare* ad Magiſtratum, ſeu *appellare* ut ad judicem ſuperiorem: hic ex Sibrando ſtatuis contrarium.

trarium. Hanc inconſtantiam tuam & ſupra notavimus. Sed videamus probationem Sibrandi: Hanc (provocationis viam) tenuit Apoſtolus Actor. 25. 9. Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet *judicari*. Hæc talia ſunt, ut ea Vedelius ipſe approbare non audeat. *Quicquid ſit*, inquit, de exemplo Pauli, ex quo non poſſe inferri appellationem proprie ſic dictam ad Magiſtratum à cenſura eccleſiaſtica, inter alia monet Cl. Walæus p. 46. 47. Certe Vedeli, ſolide demonſtravit Walæus hoc exemplum nihil ad cauſam pertinere (pag. mihi eſt 32.) unde per tuum illud *quicquid ſit*, non in ancipiti ponendum erat. Audi illius rationes, vel audiant alii, tibi enim pulchre de illis conſtat, licet tam frigide agas. Exemplum Pauli, inquit, quod ad confirmationem hujus appellationis ad Magiſtratus adducitur, diverſæ naturæ eſt. Primo enim, non appellat hic Paulus ad Magiſtratum Chriſtianum, ſed ethnicum, neque à ſententia excommunicationis eccleſiaſticæ, quam Chriſtus & ejus diſcipuli multo ante pertulerant, ſed appellat à ſententia mortis, cujus exequutio penes Cæſarem aut ejus præfectum erat, &c. Vide cæteras rationes apud ipſum: & tam conſilium Sibrandi, quam exemplum quod ad id applicavit, à Cl. Walæo nervoſiſſime refelli

refelli facile animadvertes. Verbis Iacobi Regis magnæ Britanniæ non contradicimus. Sed in iis nihil eſt de provocatione, &c. quanquam, ſi rex ille plus æquo forte in negociis eccleſiaſticis ſibi tribuiſſet, facile auctoritatem ejus, præſertim in hac Republ. deprecaremur.
» Sequitur apud Vedelium: Cæterum,
» quemadmodum in omnibus aliis nego-
» ciis eccleſiaſticis, ita etiam in hoc, nihil
» inique, temere, leviter, malitioſe, im-
» prudenter à quoquam agendum, prout
» recte etiam monet Cl. Walæus p.44. ne
» fraus fiat ordini à Christo inſtituto &
» diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſub prætextu
» injuriæ acceptæ illudatur. Honeſta oratio. Sed quomodo hoc caveri poteſt admiſſa opinione Vedelii, quæ omnem provocationem eccleſiaſticam, ut vidimus, evertit? audiamus verba ejus reli-
» qua: Quod qua ratione caveri, & quo-
» modo in eum finem Magiſtratus proſpi-
» cere ſecundum doctrinam verbi divini
» receptam in Eccleſiis Reformatis debeat
» conquerentibus, jam exponere poſſe-
» mus. Sed hæ paucæ pagellæ id non pa-
» tiuntur. Reſp. Non paucitas pagella-
» rum, Vedeli, ſed veritatis lumen tibi obſtitit, quominus rem aut impoſſibilem, aut Eccleſiæ exitioſam conarere. quod ita demonſtro: Condemnatus eſt, quiſpiam à ſynedrio. dicit is ſibi injuriam

riam factam, & negocium ſuum ad Magiſtratum ſpectare. Quæro ex te, Vedeli, an hoc ſufficiat, ut Magiſtratus ejus querelam recipiat? ſi affirmas, omnium eccleſiaſtice condemnatorum cauſæ ad Magiſtratum pervenient, modo ipſi velint; ſi negas, & de injuria prius conſtare debere dicas, quæro, quis id judicaturus ſit? non presbyterium, id enim ſententiam ſuam tuebitur, non reus, neque enim in propria cauſa judex eſſe poteſt: non Magiſtratus, utpote ad cujus cognitionem cauſa nondum devoluta eſt. Reſtat ut aliud hactenus ignotum tribunal excitetur, cui qui inſidet, quem ſane oportebit eſſe theologum, ei hoc judicium deferatur. Qui, poſtquam reo injuriam factam velut è tripode pronunciaverit, atque ita conſiſtorium, & quidem inauditum (neque enim id, ut apud illum cauſam dicat facile adducetur) condemnaverit, reum hoc præjudicio inflatum ad Magiſtratum ablegaet, magis ut ſuum is ſententiam approbet & exequatur, quam ut rem mature à ſe diſcuſſam denuo in judicium adducat. Quid aliud Vedelius hac in parte potuerit comminiſci, videre nequeo. Ipſe, quando maior pagellarum copia erit, conſilium ſuum, ut ſpero, non invidebit nobis, quod an doctrinæ verbi divini in eccleſiis Reformatis receptæ con-

congruat tunc indagabimus; niſi fecerit, nihil aliud quam Profeſſoriam ſuperintendentiam hic quæri, Eccleſiæ Chriſti merito ſuſpicabuntur. Pergit Vedelius ad confirmationem (ut ait) ſuæ propoſitionis. (quo ipſo fatetur ſe nihil adhuc ad ejus confirmationem vere faciens attuliſſe) ſed argumentis quibus nihil magis elumbe excogitari poteſt. Primum
„ eſt: quod Magiſtratus ſit cuſtos & vindex
„ utriuſque tabulæ, & ἐυταξίας eccleſiaſticæ. Concludc: ergo ad eum querela deferenda eſt, ſpreta ἐυταξίᾳ eccleſiaſtica.
„ lepidum commentum! Secundum eſt,
„ ab exemplo Principum Iudæ, qui Iere-
„ miam è manibus & violentia ſacerdo-
„ tium eripuerunt, Ier. 26. 16 &c. conclude: ergo Magiſtratus eſt reos eripere à cenſuris eccleſiaſticis. quaſi idem eſſet intentatum homicidium quod cenſura eccleſiaſtica. quid eſt μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, ſi
„ hoc non eſt? tertiū eſt ab abſurdo: quia
„ ſi impune liceret miniſtris abuti diſcipli-
„ na eccleſiaſtica, nec Magiſtratus ipſe, nec
„ alius honeſtus vir tutus eſſe poſſet & ſe-
„ curus officiorum & bonorum ſuorum. Quaſi vero de officiis & bonis diſciplina Eccleſiaſtica ageret. Quam inanis eſt iſta
„ conſequentia! ſed eam limitat: maxime,
„ ſi velint imitari praxin papatus, in quo
„ privatio juriſdictionis & officiorum, eo-
„ rum etiam quæ non pendent ab electio-
ne

ne Eccleſiæ, pari paſſu ambulant. Mirabilis limitatio! quis enim unquam audivit vel regem regno ſuo, vel mercatorem bonis exutum per ſententiam conſiſtorii? iſte profeſſor caſus ſibi fingit qui in rerum natura non ſunt. Sed prævidit hoc ſibi objectum iri, itaque addit: "Siquis dicat, non eſſe metuendum, ne "orthodoxi Paſtores alicui injuriam fa- "ciant: is meminerit Bezam &c. fateri, "alicui injuriam etiam à legitime conſti- "tuto conſiſtorio fieri poſſe. Reſp. nemo dicturus eſt, non eſſe metuendum, ne orthodoxi paſtores alicui injuriam faciant, ſed hoc omnes vident, non eſſe metuendum, nequem bonis aut honoribus exuant. Deinde, ex eo quod poſſit fieri ut injuria cuipiam à Paſtoribus fiat, non ſequitur, ergo ejus cauſam ad Magiſtratum deferendam eſſe, ſpreta provocatione eccleſiaſtica. Quartum eſt "ab abſurdo exemple Iudæorum, qui Pi- "lato dicebant, cum ei Chriſtum trade- "rent, *Niſi hic maleficus eſſet, non tibi tra- "didiſſemus eum.* Quaſi vero ibi de cen- "ſura Eccleſiaſtica, & non de ignominioſo crucis ſupplicio actum ſit. Et quaſi cenſuræ Eccleſiaſticæ diſcuſſio non ſolum ad Magiſtratum Chriſtianum, ſed etiam ad Pilatum quempiam, id eſt infidelem & religionis irriſorem pertineat. Hoc etiam deterius quiddam eſt, quam Epiſco-

Epiſcopatus Conſtantini nondum baptizati. Quintum eſt, quia presbyterium &c. in quæſtionibus facti errare poſſit. conclude: ergo ab eo non eſt eccleſiaſtice appellandum, ſed politice conquerendum. Riſum teneatis, amici.

In ſequentibus proba ex eo quod cenſura Eccleſiaſtica à Chr immediate inſtituta ſit, Matth. 16. & 18. non ſequi, non licere Magiſtratui curam gerere ut ea recte & non male exerceatur, vel, ut poſtea ait: non ſequi ex eo, ad Magiſtratum non pertinere curam & directionem ordinis externi circa eam, ut ea recte & ſine abuſu exerceatur. Quod cum ultro fateamur, neque enim unquam id quod iſte refellit diximus, neque ita argumentati fuimus, neque qui ita argumentetur novimus, quæcunque ad hoc refutandum adducit compendI facere potuiſſet. Dicimus, non licere ad Magiſtratum recurrere in cauſa Eccleſiaſtica, qualis eſt diſciplina, ſpreto tribunali Eccleſiæ. Hoc fieri citra violationem diſciplinæ eccleſiaſticæ, negamus vel à Beza, vel à Leydd. vel à Walæo dictum. Non ſententiam ſacerdotum (ſi ea injuſta ſit) apud Deum, ſed reorum vitam quæri &c. Cum Hieronymo & Sibrando fatemur. Sed quomodo inde Vedelius probet, non ad eccleſiaſticum conventum majorē, ſed ad

Magi-

Magiſtratum recurrendum eſſe, ſiquis ab Eccleſia injuſte condemnatus ſit, ipſe viderit. Ego enim nullum inter hæc duo nexum reperio. Imo quod ibi de ſententia paſtorum dicitur, idem verum eſt etiam de ſententia Magiſtratus, ut conſideranti patet.

In iis quæ ſequuntur, probat, non conſiſtere in eo auctoritatem Miniſtrorum ut impune nocere poſſint, &c. Quæ nihil ad rem faciunt. Ne enim impune nocere poſſint (per abuſum diſciplinæ) inſtitutæ ſunt appellationes Eccleſiaſticæ. Cum addit, Magiſtratum etiam *in hac parte* eſſe *judicem* actionum Paſtorum *jure divino*, ſeipſum quaſi ſorex prodit. ſi enim Magiſtratus eſt judex eorum quæ Paſtores agunt in negocio diſciplinæ, cur ergo ad Magiſtratum appellari proprie poſſe negat? an ad judicem ſuperiorem non eſt appellatio? Sed hanc contradictionem etiam ante notavimus.

Tandem, ut ſuam bilem in miſeros Paſtores funditus evacuet, locum Calvini, libro de ſcandalis, in eos torquet, ubi inter alia, mirari ſe dicit vulgi patientiam, quod non eos *luto & ſtercoribus mulieres & pueri operiunt*. Mitto reliqua. Itaque hic Vedelius, non jam à Paſtoribus ad Magiſtratus, ſed ad *mulieres & pueros*, neque ad correctionem

H eorum

eorum quæ male judicata ſunt, ſed ad *lutum & ſtercora* appellationem inſtituit. Ubinam Calvinus talem hominum, ut ipſe loquitur, colluviem inter Miniſtros Eccleſiæ invenerit, non inquiro. Nam Genevates ſuos eum intelligere non credo, de exteris autem tam acerbe judicare, duriuſculum erat. Sed Calvinum mittamus, de Vedelio nihil dicam, niſi eum hac in parte à Virgilio valde diverſum eſſe: is enim ex Ennii ſtercoribus aurum collegiſſe dicitur, ipſe vero ex auro Calvini lutum tantummodo & ſtercora colligit. Mittamus has ſordes.

Ad calcem hujus quæſtionis, inconſtans Profeſſor, qui in præcedentibus popularis videri voluit, in alterum extremum labitur. Aſcribam verba: „Quare, ſi quis malitioſe & ſuperbe ſe opponat diſciplinæ Eccleſiaſticæ juſte & ſine „abuſu exercitæ, & adeo temerarius ſit, „ut apud Magiſtratum conqueri audeat; „Magiſtratus eſt, re bene cognita, mandare ipſi ut pareat conſiſtorio, & hortari miniſtros ut pergant procedere contra eum. Si necdum parere velit, Magiſtratus eſt, pro exigentia rei, & qualitate delicti, etiam civili animadverſione vindicare non ſolum violationem ordinis a Chriſto inſtituti, ſed etiam inobedientiam qua adverſus Magiſtratum uſus

ſus eſt. Hactenus Vedelius. Qui profecto magno malo mulctat eos qui ſuo conſilio obſequuntur, id eſt, ad Magiſtratum querelam de conſiſtorio deferunt. Cum enim adverſus immorigeros pœnam politicam expoſcere non ſoleat Eccleſia, contenta gradibus diſciplinæ, quorum extremus eſt excommunicatio (*neque enim conſentaneum eſt, ut qui monitionibus noſtris obtemperare noluerint, eos ad Magiſtratum deferamus*, ait Calvinus Inſt. l. 4. c. 11. t. 4.) iſte eos qui ſeculare judicium, juxta ſuum conſilium, implorant, etiam civili animadverſione involvit. Nimirum hoc eſt, pro theſauro carbones, pro libertate ſervitutem venalem circumferre.

QVÆSTIO VIII.

An Magiſtratus habeat poteſtatem leges ferendi Eccleſiaſticas.

AFfirmat Vedelius, & hanc propoſitionem format: Magiſtratus habet poteſtatem leges ferendi Eccleſiaſticas verbo Dei non repugnantes, tam circa perſonas, quam circa res Eccleſiaſticas. Hanc quoque propoſitionem ait eſſe doctrinam Eccleſiæ reformatæ. Non audet dicere, *totius*, ut in præcedenti-

„ bus, nam nimis evidenter revinceretur. Nos, ne lectorem detineamus, ſententiam hanc falſam & Utenbogardianam eſſe ſtatuimus, quam & Cl. Walæus contra illum ſcribens ex profeſſo refutat p. 102. 103. ubi docet, hoc jus penes
„ Eccleſiam eſſe, leges vero à Chriſtianis
„ imperatoribus hac in parte latas, fuiſſe
„ confirmationes conſtitutionum Syno-
„ dalium, quæ *civili* horum Imperatorum
„ auctoritate hoc modo fuerunt roboratæ.
Demonſtrat hanc veritatem VValæus teſtimoniis Oecolampadii, Buceri, *omnium Eccleſiarum* quæ in confeſſionem Auguſtanam conſenſerunt, Eccleſiarum item Anglicarum, ac omnium denique Doctorum Gallicorum, Scoticorum, & Genevenſium, ut Domini quoque Sanct-Aldegondii. Unde majori ratione dici poteſt, ſententiam hanc Vedelii omnibus Eccleſiis reformatis adverſari, quam iis conſentire. Vidit hæc apud VValæum Vedelius, itaque eum in hujus quæſtionis exegeſi citare auſus non fuit. Sequitur ſententiam VValæi & noſtram Cl. Voetius de poteſt. Eccleſ.
„ Diſp. 3. th. 2. Ad quæſtionem: An Ma-
„ giſtratus ſit conſtitutiones ſeu leges Ec-
„ cleſiaſticas formare, & præſcribere? Reſp.
„ *Negatur.* Quia penes Eccleſiam eſt po-
„ teſtas regiminis ſpiritualis, ad quam per-
„ tinet (attende Vedeli) *νομοθεσία*, ut do-

cent

cent (iterum auſculta) *omnes Theologi,* pontificii pariter & noſtri. Siquid ergo vel Martyr, vel Iunius, vel Paræus hic peculiare haberent (ut ſane Paræus habet) id Eccleſiæ univerſæ præjudicare non poſſet. Sed, quia verba eorum Vedel. non apponit, nos paulo poſt nonnulla quæ ad rem faciunt excutiemus. Nam quæ è Profeſſ. Leydd. ſcriptis affert, nihil ipſi proſunt, nihil nobis obſunt. Cenſurâ enim Confeſſ. Remonſt. cap. 25. §. 34. (legendum 3. 4) dicunt, Magiſtratum pietatem & ordinem eccleſiæ legibus ſancire, ad vigorem publicæ obſervantiæ. id quod & nos dicimus. Verum illud non eſt leges eccleſiaſticas ferre, ſed eas iam latas confirmare lege politica. Synopſeos Diſp. 50. de Magiſtratu theſi 46. dicunt (ſi credimus Vedelio) Magiſtratum circa res eccleſiaſticas ſuo quoque imperio præſcribere nonnulla poſſe. at nos dicimus, Vedelium theſi illi (ut molliſſime loquamur) quod voluit addidiſſe. Nam illa verba, quæ ſola ad rem facerent, CIRCA RES ECCLESIASTICAS ibi non inveniuntur, ſed à Vedelio aſſuta ſunt. theſi ſeq. evidenter ſe explanant. Ibi enim tribuunt Paſtoribus jus una cum preſbyterio diſciplinam eccleſiaſticam (id eſt, ordinem eccleſiæ) *decernendi*, Magiſtratui autem, eam, ſi nihil in ea jure

,, jure deſideret, *approbandi.* Non minus
,, ἀπροσδιόνυσον eſt quod citat ex Ameſ.
Medull. l. 2. c. 17. ubi theſi 48. dicitur:
,, Magiſtratus, ſi ſummus ſit, juſta ratione
,, poteſt leges condere & abolere, atque
,, jurisdictionem aliis mandare. In iis
enim verbis Ameſii nulla ſyllaba eſt de
legibus eccleſiaſticis, itaque nihil faciunt
ad ſcopũ Vedelii. Quod addit Vedelius:
,, Magiſtratum leges eccleſiaſticas ferre
,, poſſe, *non tantum ut Miniſtrum Dei,*
,, ſed etiam reſpectu hominum, cum im-
,, perio ac poteſtate coactiva temporali,
,, nec pendere eum in illis ferendis à po-
,, teſtate aliqua humana ſuperiore; conſe-
,, quenter etiam non opus habere confir-
,, matione aliena. Id totum, inquam,
merum *αἴτημα*, & principii petitio eſt.
Nullam enim poteſtatem leges eccle-
ſiaſticas ferendi Magiſtratus habet, ideo
neque talem qualem Vedelius hic de-
ſcribit, quum non entis nullæ ſunt qua-
litates. porro videtur mihi Vedel. hic
Magiſtratum depingere, ſicut Bellarmi-
nus pontificem. Ut enim hic pontificem
ſuum caput Eccleſiæ eſſe ait, *etiam ſe-
cluſo Chriſto,* ita ille Magiſtratum ſuum
legiſlatorem in Eccleſia eſſe vult, *etiam
ſecluſo Deo.* quum ei poteſtatem in ea
legiſlatoriam tribuit alio reſpectu quam
ut miniſter Dei eſt. quumque addat,
eum ne à poteſtate quidem ulla huma-
na

na ſuperiore hac in parte pendere, videat ne tales tandem Magiſtratus formet, quales Chriſtus deſcribit Luc. 18. 4. qui nec Deum timent, nec hominem reverentur. Cur enim id faciant, qui a neutro, ut Vedelius arbitratur, quoad hanc ſuam poteſtatem, pendent? ſed operæ precium eſt ſequentia cognoſcere: *Quamvis*, inquit, *conſilium prudentum, piorum, & peritorum Doctorum Eccleſiæ recte adhibeat.* En novum arcanum. Doctores Eccleſiæ, id eſt Profeſſores, ut Vedelius eam vocem interpretatur, leges eccleſiaſticas fingent, quas, eorum ſuaſu, Magiſtratus ſua auctoritate figant. Sic ἡ νομοθετικὴ in Eccleſia, verbo quidem ad Magiſtratus, reipſa vero ad dominos Profeſſores ſpectabit, & quidem miniſtris etiam invitis, ut mox adjiciet. Nam, quod reſp. ad Not. Triglandii quæſt. VIII. negat ſe impedire, quominus *Magiſtratus adhibeat in conſilium totam Eccleſiam, ſeu conſiſtorium*, id primo, in hoc caſu falſum eſt. Nam Eccleſiam in conſilium vocare, & ECCLESIÆ LEGES OBTRVDERE, item, miniſtros (qui non infima pars ſunt conſiſtorii) in conſilium vocare, & MINISTRIS INVITIS leges fabricare, hæc, inquam, pugnant ut aqua & ignis. 2. Hac ſuæ ſententiæ interpolatione nihilo cauſam ſuam meliorem fa-

cit, ſed concedit in caſtra Utenbogardi, cujus hæc doctrina eſt: Magiſtratus eſſe leges Eccleſiaſticas ferre, utque id recte faciat, Eccleſiaſticos in conſilium adhibere. Audiamus ejus verba p. 64. 65.
" Leges, inquit, condendæ veniunt de ju-
" ſtitia, moneta, ærario, publico regimi-
" ne, bello, re maritima, conjugiis, ſcho-
" lis, & ſimilibus. Nec tamen propterea
" diverſis legiſlatoribus opus eſt. Unus
" ſupremus Magiſtratus hæc omnia, non
" dico adminiſtrare, ſed curare, ordinare,
" regulare &c. debet, ad ſingula utens ejuſ-
" modi præfectis qui ad ea comperiuntur
" idonei, quos & audit, quos & in con-
" ſilium adhibet, faciendo ut ii congre-
" gentur, nequid temere, ſed omnia recte
" faciat. Cur non etiam (Magiſtratus
" idem faciet) in re Eccleſiaſtica? Vides
Utenbogardi ſententiam eandem eſſe cum Vedeliana hac poſteriori: nempe, ut Magiſtratus in politicis leges fert, adhibitis in conſilium ſuis præfectis & eorum conventibus, ita & in Eccleſiaſticis leges ferre poſſe, adhibitis in conſilium perſonis & conventibus Eccleſiaſticis. Sed ſequuntur apud Vedelium
" etiam deteriora: Et denique, ait, obli-
" gari conſcientias illis legibus, etiam ex-
" tra caſum ſcandali & contemptus. Quæ
propoſitio, quum graviſſimum errorem contineat, ad Quæſt. ſeq. commodus dilue-

diluetur: ubi & ad partes vocabuntur ea teſtimonia quæ hic ad eam ſtatuminandam adduxit. pergit: Ex quibus per " ſe ſequitur, eas eſſe proprie ſic dictas le- " ges quæ in Eccleſiaſticis à Magiſtratu " feruntur. Reſp. Si vult *leges Eccleſiaſticas* " proprie dictas (de iis enim quæritur) à Magiſtratu ferri, prorſus quod dicit negamus, & nullo modo id à Vedelio probatum eſſe dicimus. Feruntur quidem aliquando leges recte à Magiſtratu circa res quaſdam aut perſonas eccleſiaſticas, ſed *mere politica*. Quod Vedelium non juvat. Sequitur ſpecimen tyrannidis intolerandæ quam Eccleſiis earumque miniſtris parat Vedelius, his verbis: De- " nique obſervandum eſt quod Cl. Rivetus " monet, circa leges quæ ipſos eccleſia- " ſticos ſpectant: Hæ, inquit, ita à Princi- " pibus pendent, ut ſæpe etiam Invitis " ipſis Miniſtris, *Eccleſiæ* OBTRV- " DANTVR: quæ ſi iniquæ ſint & " oneroſæ, conſcientiam tamen non læ- " dunt, obligant nihilominus, ſi juſtæ & " neceſſariæ, iis etiam eſt obtemperan- " dū. Vides mentem Vedelii velut in ſpeculo: Leges quæ eccleſiaſticos ſpectant Profeſſor condet, Magiſtratus ſanciet, eæ ad libidinem Profeſſoris Eccleſiæ obtrudentur, invitis etiam Paſtoribus. Atque ita & Eccleſiæ & ejus miniſtris vi violentâ non tam Magiſtratus quam

Profeſſor dominabitur. Sed rectum ſe putat Vedel. Ægide Riveti, ex illo enim hæc, ut ait, petivit. Qua fide, jam videbimus. Diſtinguit Rivetus leges eccleſiaſticas in duas ſpecies, p. 267.
„ Ita ut eæ quæ internam conſtitutionem
„ Eccleſiæ ſpectant (quæ ſolæ proprie ſunt
„ Eccleſiaſticæ) à miniſtris ſanciantur, à
„ Magiſtratu approbentur; quæ vero ex-
„ terna tantum attingunt, ut de ſtipendiis
„ & privilegiis eccleſiaſticorum (eæ autem
„ non ſunt proprie Eccleſiaſticæ, ſed mere
„ politicæ) dicit ita à principibus pende-
„ re, ut ſæpe etiam invitis miniſtris Eccle-
„ ſiæ obtrudantur. hanc perſpicuam & diſtinctam doctrinam Vedel. ita involvit, ut dicat hæc pertinere ad eas leges
„ quæ eccleſiaſticos maxime ſpectant.
„ Quaſi non & pleraque quæ intus in Eccleſia geruntur ad eccleſiaſticos ſpectent, quæ manifeſte Rivetus ab hac cauſa ſegregat, dum ſe de ſtipendiis miniſtrorum & ejuſmodi externis ſolummodo loqui profitetur. Sed hoc data opera omiſit Vedel. ut omnia quæ ad miniſtros ſpectant, id eſt, totam rationem officii ipſorum à Magiſtratu (vel potius à Profeſſore nomotheta) pendere perſuadeat. Dico, Riveti verba nihil facere ad rem Vedelianam, cum non loquatur de legibus eccleſiaſticis proprie ſic dictis, ſed objective tantum & improprie,

prie, Vedelius autem de legibus Eccleſiaſticis proprie dictis loquitur. Deinde & hoc in verbis Riveti obſervatu non indignum, cum ait eas leges ita *pendere* à Magiſtratu &c. Id nos accipere *de facto* non *de jure*. Nullum enim jus habet Magiſtratus ferendi leges *iniquas* & eas Eccleſiis obtrudendi. ut perſpicuum eſt. Porro de quibus legibus loquatur Rivetus clarum eſt ex exemplo legis quam ipſe Vedelius affert, nempe, quo Imperatores caverunt ne Teſtamenta captarent Eccleſiaſtici. Quæ lex pure politica eſt, licet circa perſonas Eccleſiaſticas objective verſetur. Nam quæ ex Novellis Iuſtiniani de ordinatione Epiſcoporum &c. affert Vedel. ea nihil aliud quam approbationem & executionem veterum canonum eſſe ex Walæo audivimus. Quanquam quid hic vel ille Imperator fecerit nobis non eſt anxie laborandum, qui de jure, non de facto diſceptamus.

QUÆSTIO IX.

An Eccleſiaſtici habeant poteſtatem leges proprie ſic dictas ferendi?

VEdelius negat, & hanc propoſitionem format: Eccleſiaſtici non ha-

„ bent poteſtatem leges condendi pro-
„ prie ſic dictas, ſed tantum διατάξεις
„ ſeu ordinationes & conſtitutiones, quæ
„ non obligant conſcientiam extra caſum
„ ſcandali ſeu contemptus: atque ut vim
„ legum accipiant, opus habent auctori-
„ tate & confirmatione Magiſtratus, quæ
„ ubi acceſſit, obligant reſpectu non mi-
„ niſtrorum ſed Magiſtratus, etiam extra
„ caſum ſcandali ſive contemptus.

Nos propoſitionem illam, & inaniſſima diſtinctione, & graviſſimis erroribus laborare dicimus. Inaniſſima eſt diſtinctio inter leges, διατάξεις, ordinationes, conſtitutiones: quæ omnia vocabulo tantum, non reipſa differunt. Profecto, quod vim legis non habet, id nec διατάξεως, ordinationis, conſtitutioniſve, ſed tantum conſilii vim habere poteſt. Id qnod adeo verum eſt, ut ipſe Vedelius, Reſp. ad Not. Trigl. Quæſt. 8. Hæc duo in hac eadem re pro eodem ſumat, & ſe ad hanc ipſam Quæſtionis 9.
„ exegeſin referat verba ejus ſunt. Ipſi
„ (eccleſiaſtici) etiam poſſunt *leges ſeu con-*
„ *ſtitiones* eccleſiaſticas ferre, ut doceo
„ Quæſt. 9. Itane? tu hoc doces Quæſt. 9? imo contrarium doces, nempe *conſtitutiones* eos ferre poſſe, *leges* non poſſe. Interim quam parum huic diſtinctioni
„ ipſe fidas oſtendis. Error eſt, quod con-
„ ſtitutiones eccleſiaſticæ vim legis accipiant

piant à Magiſtratu. Unde ſequeretur, " conſtitutiones apoſtolicas, & multas alias, vim leges non habuiſſe, quamdiu nullus eas Magiſtratus approbarat. Res eſt: Conſtitutiones eccleſiaſticæ habent vim legis de *jure*, ut autem eam *de facto* obtineant, id eſt, ut ſine impedimento vim ſuam exerant, ad hoc multum valere Magiſtratus auctoritatem facile damus. Sed error alter graviſſimus eſt: conſtitutiones eccleſiaſticas, poſtquam " ſunt à Magiſtratu approbatæ, atque ip- " ſas Magiſtratus leges (ut Quæſt. præced. " dixit) obligare conſcientiam, extra ca- " ſum ſcandali ſeu contemptus. qua aſ- " ſertione humanæ leges divinis æquipatantur, quæ ſolæ conſcientiam per ſe, & extra caſus ejuſcemodi obligandi vim habent. Hos tantos errores ut funditus extirpemus diligenter ea quæ ad illorum probationem affert conſiderabimus. Et primo quidem ſuam opinionem è ſacra ſcriptura, præter ſolitum, demonſtrare nititur, mox conſenſu Eccleſiæ reformatæ. Teſtimonium ſcripturæ affert ad Quæſt. præced. ubi Magiſtratus leges " extra caſum ſcandali & contemptus ob- " ligare conſcientias ait, ob mandatum ge- " nerale Dei de obedientia debita Magi- " ſtratui Rom. 13. & alibi. Quaſi non ex- " tet ſimile mandatum, de obediendo præpoſitis, id eſt, Paſtoribus Eccleſiæ.

Heb. 13. 17. Hinc ergo, juxta logicam Vedelianam, ſequetur, etiam decretis Paſtorum obligari conſcientias, extra caſum ſcandali & contemptus. quod tamen diſerte impugnat. Ad locum Rom. 13. 5. quod attinet, nego ibi Magiſtratum aliter conſiderari, quam ut eſt miniſter Dei, & vindex divinarum legum (ſub quibus prohibitionem ſcandali & contemptus etiam comprehendimus) non ut eſt lator legum humanarum. Patet ex ipſo textu v. 4. *Miniſter enim Dei eſt*. Et iterum: *Miniſter enim Dei eſt, & vindex ad iram, ei qui quod malum eſt fecerit.* verſ. 5. QVAPROPTER *neceſſe eſt ſubjici, non ſolum propter iram ſed etiam propter conſcientiam.* Eapropter videlicet, quia eſt miniſter
» Dei. Ubi recte Beza: Concluſio, inquit,
» parendum eſſe Magiſtratui, non modo
» pœnæ metu, ſed multo magis, quia,
» *etiamſi Magiſtratus in conſcientiam jus*
» *non habeat*, tamen, *cum Dei ſit mini-*
» *ſter*, bona conſcientia ei reſiſti non po-
» teſt. Quæ eadem etiam, ſervata analogia, de Paſtoribus Eccleſiæ vere dici poſſunt, qui & ipſi ſunt miniſtri Dei, ac, etiamſi in conſcientias jus non habeant, tamen bona conſcientia eis reſiſti non poteſt.

Poſtquam à S. Scripturæ patrocinio adverſariū depulimus, videamus quemadmo-

admodum demonſtret, hanc eſſe doctrinam eccleſiarum reformatarum. Non audet dicere *omnium*. Et ne unam quidem adducit, quæ ſua vel confeſſione, vel διατάξει ipſi ſuffragetur. Unde Doctores quos adducit, quia illi Eccleſiam non conſtituunt, miſſos facere poteramus; ſed quia magna res eſt, etiam illos omnes, excutiemus. Primus eorum ponitur Calvinus Inſtit. l. 4. c. 10. 11. 12. at illum ego dico Vedelii adverſarium eſſe, ut qui maxime. Audiamus ejus verba ex c. 10. t. 1. Hoc unum, inquit, contendo, neceſſitatem imponi conſcientiis non debere in quibus rebus à Chriſto liberantur. (hoc ergo, Vedeli, nec Magiſtratibus, nec miniſtris licet) & mox: Vulnus infligitur conſcientiis, ſi earum rerum neceſſitas illis imponitur, quarum relicta eſt à Domino libertas. Et poſtea: Sed nondum expedita eſt illa difficultas quæ ex Pauli verbis naſcitur. Nam, ſi principibus obediendum eſt non pœnæ tantum, ſed *conſcientiæ cauſa*, inde conſequi videtur, in conſcientiam quoque dominari principum leges. Reſpondeo: primum inter genus & ſpeciem hic eſſe diſtinguendum. Nam etſi *leges ſingulæ conſcientiam non attingant*, generali tamen præcepto Dei tenemur, quod Magiſtratuum auctoritatem nobis commendat. Atque in hoc

cardi-

» cardine verſatur Pauli diſputatio: Magi-
» ſtratus, quoniam à Deo ſunt ordinati,
» honore proſequendos eſſe. Interea *mi-*
» *nime quæ ab illis ſcribuntur leges ad inte-*
» *riorem animæ gubernationem pertinere,*
» cum ubique & Dei cultum, & ſpiritua-
» lem juſte vivendi regulam ſupra quæli-
» bet hominum placita extollat. Alterum
» quoque notatu dignum eſt (quod ta-
» men ex ſuperioribus pendet) *leges hu-*
» *manas, ſive à Magiſtratu, ſive ab Eccle-*
» *ſia ferantur,* tametſi ſint obſervatu ne-
» ceſſariæ (de probis & juſtis loquor) ideo
» tamen *non ligare per ſe conſcientiam,*
» quia *tota obſervandi neceſſitas* ad gene-
» ralem finem reſpicit, *non* autem *conſi-*
» *ſtit in rebus præceptis* t. 9. Paulus, inquit,
» *nullo modo* patitur fideles conſcientias in
» hominum ſervitutem redigi. In quibus
ſole clarius eſt, Calvinum vim conſcien-
tias obligandi non eccleſiaſticis modo
conſtitutionibus, ſed politicis quoque
legibus abrogare, & utraſque (invito
Vedelio) *legum* nomine appellare. ut &
» textu 27. Quando vero, inquit, impe-
» riti plerique, dum humanis traditioni-
» bus impie ligari hominum conſcientias,
» & fruſtra Deum coli audiunt, eadem
» litura *leges* omnes inducunt, quibus *Ec-*
» *cleſiæ ordo* conſtituitur, illorum quoque
» errori commodum hic occurrendum eſt.
» Et mox: quamobrem, ſi Eccleſiæ inco-
lumi-

lumitati bene proſpectum volumus, diligenter omnino curandum eſt, quod Paulus jubet, ut decenter omnia & ſecundum ordinem fiant. At, cum in hominum moribus tanta ſit diverſitas neque politia ulla ſatis firma eſt, niſi certis legibus conſtituta, nec niſi ſtata quadam *forma* ſervari *ritus* quiſpiam poteſt. huc ergo conducunt *leges*; quas tantum abeſt ut damnemus, ut his ablatis diſſolvi ſuis nervis eccleſias, totaſque deformari ac diſſipari contendamus. & t. ſeq. Vbi ſemel publicæ honeſtatis cauſa poſita *lex* intelligitur, jam ſublata eſt ſuperſtitio. v. & t. 30. de Magiſtratu autem, qui è conſtitutionibus leges faciat, nihil. nam & refert haſce leges ad præceptum Pauli, ut decenter & ordine omnia in eccleſia fiant. id autem Paulus non Magiſtratibus ſed eccleſiis præcipiebat. Duo ſequentia capita a Vedel. citata non de legibus ſed de diſciplina eccleſiaſtica agunt, ubi nihil pro Vedel. ſed multa contra ipſum ſunt, quæ quoniam ad hanc quæſtionē proprie non faciunt, præterimus. Secundus Vedelii teſtis eſt (quæſt. præc. licet hic alio ordine ponatur, quod parum refert) P. Martyr in 1. Sam. 14. qui commentarius à martyre non eſt editus, ut ante obſervavimus. Sed &, quæ ſcribit, partim refellunt Vedelium, partim ab aliis orthodoxis refelluntur.

,, Hæc Vedelium refellunt: Quidam au-
,, tem putant Epiſcopos non poſſe ferre
,, *leges*(& poſtquam in utramque partem
,, id ventilavit, addit:) Sed, ſintne iſtæ *le-*
,, *ges* necne, quoniam non multum ad
,, rem facit, nolo rixari. Poſitum ergo ſit
,, (attende Vedeli) licere Eccleſiæ ſcribere
,, ſibi aut canones, aut *leges*, aut decreta,
,, aut ſanctiones, aut quocunque ea velis
,, nomine appellare. Quod autem attinet
ad ea quæ Vedel. ex eo citat, nempe, *leges politicas principum multo plus obligare, quam eccleſiaſtica Epiſcoporum conſtitutiones obligant*, ea iis verbis apud
,, Martyrem non invenio, ſed hiſce: Ma-
,, gnum ergo eſt diſcrimen inter eccleſia-
,, ſtica decreta & politica. Quare neceſſe
,, eſt, illa minus obſtringere conſcientias.
Hic duo à Vedelio in cauſæ ſuæ favorem commiſſa ſunt: 1. Quod principi tribuat *leges*, Epiſcopis *conſtitutiones*, quaſi ea diſtinctio ſit apud Martyrē, cum utraq; ab illo eodem nomine decretorum vocentur. 2. Quod vocem *conſcientiæ* omiſit. Nam Martyr, dicens Eccleſiaſtica decreta minus *conſcientias* obſtringere quam politica, innuit, per utraque eas obligari, ſed per illa minus quam per hæc. Id quod eſt contra Vedelium. Ideo ita eum citare maluit, quaſi ſimpliciter hæc plus, (& quidem *MVLTO plus*, quod apud Martyrem non eſt) illa mi-

nus

nus *obligare* dicerentur. quod hanc ſententiam habere poteſt, quaſi hæc conſcientias obligent, illa tantum externas actiones, qui ſenſus Vedelii eſt, non Martyris. hæc ad citationem Vedelii. Sed, quia ſententiam etiam ut eſt apud Martyrem falſam putamus, opponemus ei contrariam Alſtedii, (qui & ipſe inter teſtes Vedelianos eſt) de Eccleſ. juriſdict. l. 4. c. 16. r. 3. Si leges (inquit) eccleſiaſticæ per ſe non obligant conſcientiam, tum Mvlto Minvs (notet Vedel. contra ſuum Mvlto Plvs) civiles. At illud eſt, ergo & hoc. Probatur aſſumptio: quia leges eccleſiaſticæ humanam habent auctoritatem, ſed Mvlto Maiorem quam politicæ, propter majorem affinitatem cum legibus divinis. hactenus Alſtedius. cui conſentit Scarpius Curſ. Theol. loco de Magiſtratu q. 2. r. 6. Si (inquit) leges eccleſiaſticæ non obligant conſcientiam extra caſum ſcandali & contemtum, tum Mvlto Minvs civiles. At prius ſupra probatum, Ergo. v. Porro totam illam quæſtionem. pag. 240.

Tertius Vedelii teſtis eſt Whitakerus Contr. 4. q. 7. ſed hic teſtis ipſius cauſam plane jugulat. Verba ejus ſunt, c. 1. Nos dicimus, Principum leges *non obligare conſcientias*, hoc enim ſolius Dei eſſe, leges dare conſcientiis. & mox: Fatemur

„ temur quidem *Epiſcopos* & Chriſtianos „ Magiſtratus *leges* in Eccleſia conſtitue„ re, quæ ad decorum & *εὐταξίαν* ſpectent, „ quæ ſunt quidem obſervandæ, ſed aliter „ quam illæ leges quas Deus præſcribit. „ *Non ut his conſcientia implicetur, niſi* „ *modo* (attende Vedeli) *propter ſcanda-* „ *lum & contemptum* legitimæ auctorita„ tis. Alias, res ipſas eſſe medii generis. „ ſi ergo *contemptus* appareat, ſi *ſcanda-* „ *lum*, tum peccare illos dicimus qui has „ leges violant: ſed *negamus has leges con-* „ *ſcientias attingere*, ut, *ſi abſit ſcandalum* „ *& contemptus Magiſtratuum*, peccet „ contra Deum. In quibus Whitakeri verbis, ſi illa quibus dicit Epiſcopos & Magiſtratus leges in Eccleſia conſtituere ſanè ſumantur, ita ut illi eas ferre, hi vero auctoritate politica confirmare intelligantur, reliqua omnia contra Vedelium eſſe ſole meridiano clarius apparet.

Quartus Vedelii teſtis, eſt Fr. Iun. lib. 4. de pont. c. 15. 16. &c. ex illo ergo etiam nonnulla excerpamus, c. 16. t. 8. „ Dicit. Quæ Deus præcepit, ea juſtas „ conditiones legis omni ex parte obti„ nent, auctore & auctoritate, materia „ forma, fine, omnibus circumſtantiis, „ quæ autem *homo*, ea abſunt quam lon„ giſſime à perfectione divini inſtituti; & „ quæ *optima* ſunt in eis, *non à ſua*, ſed *à*

mini-

miniſterii auctoritate valorem habent. „ Quid enim? Deo certe æquari vel in „ hac ipſa re Pontificem (adde: vel Magiſtratum) eſt impium. quiſquis in re ulla „ æquat, benè eſt, pontificem (aut Magiſtratum, nam eadem eſt ratio, cum & ipſe ſit *homo*) antichriſtum facit. t. 60. „ ait: Leges principum non obligare per „ ſe ſimpliciter, ratione formali ſua, „ ſed obligare ratione communi divinæ „ ordinationis, & ſecundum illam. c. 20. „ t. 3. Omnibus modis conſcientia ad forum ſolius Dei pertinet, univocè, proprie, & per ſe. ad auctoritatem, inquam, jus, cognitionem & judicium ipſius: ad hominis forum minime pertinet, niſi æquivoce, atque per accidens, „ &c. t. 5. ex Calvino adducit: Cum uno „ Deo negocium eſſe conſcientiis noſtris. „ Et mox: humanis omnibus judiciis ſuperiorem eſſe hominis conſcientiam. „ t. 7. Humanam legem non obligare „ per ſe conſcientiam, ſed per accidens, „ quodam modo. „

Quintus Vedelii teſtis eſt Alſtedius in Supplem. Chamierii. At is (præter ea quæ jam allegavimus) de Eccleſ. juriſd. l. 4. c. 16. t. 2. uſque ad finem, diſerte refutat ſententiam hanc Vedelianam. Statuit enim humanis legibus obtemperandum propter conſcientiam, quatenus „ in divinis legibus ipſæ fundantur. at „

gra-

gravitet errare Bellarm. qui dicat legem civilem non minus obligare conſcientiam quam legem divinam. Idque multis rationibus convellit t. 3. textu autem 5. ait: Non omnis lex habet vim obligandi intrinſecam & eſſentialem, ſed illa duntaxat quæ à Deo eſt profecta, non vero iſta quæ hominem habet auctorem. Iſti enim vis obligandi eſt extrinſeca & accidentalis, quatenus nempe eſt conformis lege divinæ. ſolus Deus habet jus in conſcientiam. & poſtea; Apoſtoli loquuntur de auctoritate Magiſtratus in genere, non vero reſpectu omnium & ſingularum legum, &c.

Sextus Vedelii teſtis eſt Sibrandus contra Grotium pag. 151. 152. qui ſi pro Grotio ſcripſiſſet, non autem contra eum, facilius crederem eum Vedelio favere. Audiamus ejus verba: Dicam, inquit, breviter, An & quatenus judicia eccleſiaſtica noſtras conſcientias obligent. Iudicia illa ſunt de realibus, vel de perſonalibus. Realia ſunt, de fide, vel de rebus adiaphoris, Quæ ſunt de fide, aut congruunt cum Dei verbo, aut ab eo diſcrepant. Illa *per ſe obligant conſciėntias*, hæc, *nullo modo eas obligant*. Quæ ſunt de rebus adiaphoris, non per ſe obligant conſcientias, ſed tantum ratione ſcandali, &c. p. ſeq. Etiam quæris, cujus nomine ſynodica decreta debeant

beant

Digitized by Google

beant promulgari (ſi Vedelio aſſentire- "
mur, nomine Magiſtratus deberent promulgari, ab illo enim ſolo, ut putat, auctoritatem & vim legis accipiunt. Sed audiamus quid Sibrandus nos doceat:) "
Reſpondeo: inquit, In primitiva eccleſia "
nomine ſynodi, vel eorum qui in ſynodo "
congregati fuerunt, *fuiſſe promulgata.* "
Vide Act. 15. 23. & cap. 16. 4. Et *ita* fa- "
ctum eſt, quamdiu eccleſia, ſub ethnicis "
Magiſtratibus fuit. Deinde cum ſummi "
Imperatores *Chriſtiani* fierent, ſynodi- "
ca decreta *confirmata* quidem ſunt ab "
Imperatore, & ab eodem in ſuis ditio- "
nibus promulgata, *non tamen Imperato-* "
ria, ſed ſynodica decreta dicta] *ſunt*. Equi- "
dem Conſtantinus Magnus inter judicia "
Politica & eccleſiaſtica diſtinguens, e- "
tiam illam ſententiam, quæ ipſo præ- "
ſente in ſynodo lata eſt, vocat *judicium* "
ſacerdotum. De vita Conſtant. l. 4. c. 34. "
Cujuſvis enim (attende Vedeli) *judicis* "
ſententia, ſacerdotum Dei judicium præ- "
ferendum eſt. Hæc è diametro cum tuis illis verbis pugnant, quibus contendis leges politicas plus obligare quam eccleſiaſticas.

Septimus Vedelii teſtis eſt Bogermannus contra eundem Grotium p. 19. -93. (lege 192. 193.) ubi nihil potui invenire de ordinaria poteſtate Magiſtratus in condendis legibus eccleſiaſticis, nec eas obli-

obligare conſcientiam, nec magis obligare quam conſtitutiones eccleſiaſticas. Tantummodo occurrit ibi, præter ea quæ extraordinarios caſus attingunt, diſtinctio quædam Junii, quam Vedel. ſuam fecit, inter leges, & ordinationes ſive canonas, &c. quæ cum ſit mera de verbis velitatio, nec ab aliis theologis obſervetur, ut ante oſtendimus, non eſt quod ei amplius immoremur.

Octavus Vedelii teſtis eſt Ameſius in Bellarmino enervato ad Q. illam. Sed quia verba Ameſii quæ mox afferet ſuo ſtatim loco explicabimus, nunc ex ejuſdem lib. 5. de Conſcientia c.25. ubi ex profeſſo de hac re agit, totam litem facile decidemus. Quærit ibi Quæſt. 4.
„ An, & quatenus leges humanæ obligent
„ conſcientiam? & reſpondet: 1. Con-
„ ſcientiam proprie, directe, immediate &
„ per ſe nihil obligat præter legem divi-
„ nam: ratio 1. quia conſcientia vel ani-
„ ma non proprie ſubjicitur niſi Deo.
„ 2. quia regula conſcientiæ eſt lex Dei in
„ corde inſcripta. Rom. 2. 15. 3. quia ho-
„ mines non poſſunt de conſcientia judi-
„ care. 4. quia non poſſunt ſpiritualem
„ pœnam conſcientiæ inferre.
„ 2. Leges tamen humanæ obſervandæ
„ ſunt propter conſcientiam erga Deum:
„ Rom. 13. 5. Reſp. quia lex Dei conſtituit
„ hunc ordinem, ac poteſtatem, & ſubje-
ctionem

ctionem ac obedientiam eidem jubet " præſtari. ib. "

3. Quia autem lex Dei directe & " immediate ſubjectionem imperat erga " poteſtatem ſupereminentem, idcirco in " *omnibus legibus humanis* obligantur ſub- " diti, ne eiſdem ſeſe opponant *ex con-* " *temptu* auctoritatis publicæ (attende " Vedeli) aut quicquam admittant, quod " tale quid *cum ſcandalo* præ ſe ferat. " R. quia poteſtatis *contemptus*, & alio- " rum *offenſio* eſt per ſe peccatum adverſus " legem Dei. "

4. Leges illæ humanæ, quæ vel ur- " gent, vel declarant legem divinam, vel " directe faciunt ad ejus conſervationem, " obligant etiam in conſcientia. R. quia " tales leges, quatenus ſunt tales, parti- " cipant naturam & vim legis divinæ. "

5. Aliæ leges humanæ, quia poſſunt " eſſe vel juſtæ, vel injuſtæ, vel partim juſtæ " & partim injuſtæ, idq; ratione efficientis, " materiæ, formæ, finis, & hujus aut illius " ſubjecti, vel adjuncti, idcirco non ita " ſimpliciter alligant, ut earum quælibet " violatio culpam lethalem inducat. Si " enim ſic eſſet, tum quot ſunt leges, tot " eſſent laquei animarum, & qui ſub le- " gibus vivunt, pluribus multo peccatis " eſſent obnoxii, quam qui in barbaris " gentibus, vel abſque legibus, vel cum " pauciſſimis tranſigunt vitam. "

„ 6. Legis hujus aut illius humanæ
„ tranſgreſſio non eſt ſpeciale genus pecca-
„ ti ſecundum materiam, quemadmo-
„ dum eſt violatio legis Divinæ, ſed eate-
„ nus tantum eſt peccatum, quatenus vio-
„ lat legem obedientiæ generalis, ita ut
„ omnes tranſgreſſiones talium legum ad
„ unum genus peccati referantur.

„ 7. Obligatio legis non poteſt exten-
„ di ultra intentionem & mentem legiſla-
„ toris, eamque juſtam. Præſumendum
„ autem eſt, nullum hominem velle ſuos
„ ſubditos ad lethalem reatum & damna-
„ tionem obligare, propter quemlibet ſuæ
„ voluntatis neglectum. Imo ſi in aliquo
„ caſu magnum damnum, ſcandalum, aut
„ incommodum ex obſervatione quarun-
„ dam legum ſequuturum eſſet, præſumi-
„ tur non intendiſſe legiſlatorem, ut in il-
„ lo caſu obſervaretur.

„ 11. Multæ leges ſunt pure pœnales, ita ut
„ ipſis plane ſatisfiat ſi pœna ſolvatur. R. 1.
„ Quia legis finis eſt deterrere homines à
„ communi & frequenti uſu hujus aut illius
„ rei; ad quem finem ſufficit conſtitutio
„ pœnæ. 2. In talibus etiam legibus eſt
„ tacita conventio & pactum, de pœna
„ ferenda ſi contra fiat. Contra leges au-
„ tem conventionales, aut ſub conditio-
„ ne latas, venire quis poteſt *abſque pecca-*
„ *to*. 3. De talibus legibus *intelligentes ho-*
„ *mines nunquam faciunt ſcrupulum con-*
ſcientiæ,

ſcientia, ſi abſit contemtus, ſcandalum, & notabile damnum. Tales ſunt leges de non venando, de non piſcando, de volucribus aut feris non capiendis, de non utendo hoc aut illo genere veſtium, ciborum &c. 12. obligat lex pœnalis ex ordine tantum ad pœnam *patiendam*, non *ſponte ſolvendam, aut quærendam*, quod eſſet ridiculum. Hactenus Ameſius, qui, ut legenti apparet, totus in hac parte noſter, & Vedelio contrarius eſt.

Nonus Vedelii teſtis eſt Paræus in 13. Rom. dubio 5. Ubi fateor eum Vedelianam ſententiam docere & inde eam Vedelius hauſit. Sed opinionem unius hominis pro conſenſu totius Eccleſiæ nobis obtrudere non poteſt. nos tam libere eam rejicimus, quam ille amplexus eſt.

Decimus Vedelii teſtis eſt Vrſinus in catecheſin quæſt. 96. ubi fateor eum idem dicere quod Paræus, neque hoc mirum, cum opus ipſum à Paræo congeſtum, & ſæpius interpolatum ſit. Qui in Præfat. profitetur, Explicationes catecheticas ab Vrſino ipſo neque ſcriptas, neque dictatas, nedum editas unquam, ſed in catecheticis multorum annorum repetitionibus plerumque curſim effuſas, à diſcipulis vero diligentioribus raptim, quin & furtim aliquando calamo exceptas, tandemque *varie à variis* congeſtas fuiſſe. Unde in tam *diſpari*

compilatione Paræus ſuæ quoque diligentiæ ampliſſimum locum relictum putavit. quod an fecerit hoc de quo agitur loco, æſtimandum relinquo iis qui primam Vrſinianæ catecheſeos editionem, à Cl. Goulartio, ad ſeptem inter ſe collata exemplaria diligentiſſime curatam, inſpexerint. In illa enim ne umbra quidem eorum verborum quibus ſe hic munit Vedelius apparet. Prodiit illa editio Lugduni Batavorum ex officina Ioannis Paetſii Anno MDLXXXIV. Quæ cum ita ſint, non eſt illa compilatio teſtimonium ſat idoneum mentis Vrſinianæ. Atque ita (nam ſimilia adverſus commentarium Martyris excepimus) ex iis qui adhuc adducti ſũt, unus Paræus cum Vedelio Eccleſiam reformatam nobis conſtituent. Reliqui Theologi, quia aliud quam volebat Vedelius reſpondent, οὔτ' ἐν λόγῳ erunt, οὔτ' ἐν ἀριθμῷ.

Poſtquam auctoritates Vedelii excuſſimus, accedamus ad ejus probationes. Prima hæc eſt: Quia miniſtri Eccleſiæ nihil niſi alieno, hoc eſt, Chriſti imperio præſcribunt. Reſp. in iis quæ conſcientiam obligant, nec miniſtri Eccleſiæ quicquam niſi Chriſti, nec Magiſtratus quicquam niſi Dei nomine præſcribere poteſt. In iis vero quæ ad externam εὐταξίαν ſpectant, ut Magiſtratus in republica, ita Eccleſiæ miniſtri in Eccleſia

cleſia multa neceſſario præſcribunt quæ à Deo imperata non ſunt, quæque à Dei præceptis ſunt diſcriminanda. Patet hoc è pleriſque canonibus eccleſiaſticis, quæ in rebus adiaphoris verſantur. Et hoc eſt quod dicunt Cl. Proff. Leydd. Cenſura Conf. Rem. c. 25. ad ſect. 3. Chriſtum nempe, tribuiſſe Eccleſiæ & miniſterio ejus in rebus indifferentibus quandam diſpoſitionem ſeu diſpenſationem. Hac ergo in parte Magiſtratus in ſuo, & miniſtri in ſuo regimine pari paſſu ambulant. Pergit: Gubernatio enim Eccleſiaſtica eſt omnino ὑπηρετικὴ ſeu miniſterialis. Reſp. Quid gubernatio reipublicæ? annon & ipſa miniſterialis eſt? ſane Magiſtratus dicitur Θεοῦ διάκονος Rom. 13. 5. id eſt miniſter. ſed in iis quæ conſcientiam ligant ad legem Dei & Chriſti tam Magiſtratus quam paſtores arctius aſtricti ſunt, in iis vero quæ ordinem externum ſpectant, laxior utriuſque poteſtas eſt. Ita nec hic quidem ulla inter hoc & illud miniſterium apparet differentia. pergit: Et ſunt in ſe conſiderati mandatarii meri, qui proprii nihil habent. Reſp. in iis quæ conſcientiam ligant, tam Magiſtratus quam miniſtri ſunt mandatarii meri, quibus latum unguem à mandatis Dei diſcedere non licet, in reliquis mandatum generale habent, ut illi quæ ad bonum reipublicæ,

Digitized by Google

hi quæ ad τάξιν & εὐσχημοσύνην Eccleſiæ faciunt, prout tempus & locus exigunt, prudenter præſcribant. Nec hic ulla inter utrumque miniſterium differentia eſt. Pergit: Poteſtas eccleſiaſtica eſt miniſterii potius quam poteſtatis, nec citra rationem decori & honeſtatis quicquam in eccleſia poteſt. Reſp. Tam politica quam eccleſiaſtica poteſtas eſt miniſterij peculiaribus mandatis aſtricti, in iis quæ conſcientiam tangunt, in reliquis miniſterium utriuſque laxius eſt, ut aliquoties vidimus. mitto inconcinnā loquendi rationem, ſive ea Iunii ſit, ſive Vedelii, *Poteſtatem* eccleſiaſticam eſſe miniſterii potius quam *poteſtatis*. Quid enim eſt *poteſtas poteſtatis?* Pergit: Eccleſiaſtica poteſtas eſt miniſterium, non poteſtas αὐτοκρατορική, ut magiſtratûs. Reſp αὐτοκράτωρ eſt, qui à ſe ipſo (id eſt, non ab alio) habet imperium. Id intelligi poteſt, vel reſpectu hominum, vel reſpectu Dei: ſi hominum reſpectu, fatemur, magiſtratum *ſupremum* & abſolutum, ſi quis talis eſt, eſſe αὐτοκράτορα, quia ab alio *homine* poteſtatem non accipit, ſed à ſolo Deo. At idem de paſtoris poteſtate verum eſt, fatente Vedelio, nam & is, non ab homine, ſed immediate à Chriſto accipit ſuam poteſtatem eccleſiaſticam. Quod ſi αὐτοκρατορίαν hanc accipis reſpectu Dei, ſic negamus ullum

Magi-

Magiſtratum eſſe *ἀυτοκράτορα*, nullus enim à ſe ipſo habet poteſtatem, ſiquidem non eſt poteſtas niſi à Deo. Rom. 13. 1. ſequitur. 2. Vedelii ratio: Quia *conſequenter* etiam miniſtris non competit poteſtas coactiva externa. Reſp. 1. ſi hæc *conſequentia* eſt ex antecedentibus, certe eorum ratio eſſe non poteſt. niſi circulum committere velis. 2. Ne conſequentia hic quidem ulla eſt: poteſtas eccleſiæ eſt pure miniſterialis, ergo non habet poteſtatem coactivam externam. Nam magiſtratuum apparitores puri miniſtri ſunt, & tamen habent poteſtatem coactivam externam. 3. Multo minus valet ad rem Vedelii de qua hic agitur: licet enim Eccleſia poteſtatem coactivam externam *corporalem* non habeat, habet tamen poteſtatem coactivam *ſpiritualem*, fatente ipſo Vedelio. quomodo hinc ſequitur, vel eccleſiam leges ferre non poſſe, vel eas minus conſcientiam obligare quam politicas? minuſne eam obligat poteſtas ſpiritualis quam corporalis? quid vanius? pergit: Unde non poſſunt judicium ferre quando quæſtio eſt de incarceratione, exilio, mulcta pecuniaria, aut ulla pœna corporali. & mox: Miniſtros ne quidem acceptare debere hanc poteſtatem à Magiſtratu, ſi vel maxime ipſis deferretur ab illis. Reſp. Ergo Vedelius, qui duplici

nomine ſe miniſtrum eccleſiæ profitetur, primo quod Genevæ in miniſterio confirmatus (quod etiam, niſi fallor, concionando exercet Franekeræ) ſecundo quod doctor Theologiæ ſit, non poteſt in hiſce judicium ferre, quod tamen quotidie facit. Habemus hominem manifeſte *ἀυτοκατάκριτον*. Et certe, Salmaſius, qui *miniſterium* & *magiſterium* ſive officium DOCTORIS non divellit, ſed conjunctim epiſcopis tribuit, non modo prioris, ſed & poſterioris tituli ratione pœnas corporales & pecuniarias eis adimit.
,, p. 440. Doctrinæ, ait, magiſterium penes eos fuit, quo & DOCTORES audierunt: ſed NE FERVLÆ QVIDEM IVS in illo magiſterio adverſis diſcentes eis competiit, NEC MVLCTÆ QVIDEM DICENDÆ poteſtatem habuerunt. confer. pag. 452. ergo hæc, contra ſe ipſum attulit Vedelius. Interea quæro, nec invenio, quid hæc faciant ad poteſtatem leges ferendi Eccleſiaſticas?

QUÆSTIO X.

An ullus homo in terris habeat poteſtatem abſolutam in rebus eccleſiaſticis.

,, NEgat Vedelius. & hanc propoſitionem format: Nullus homo, quicunque

cunque tandem ille ſit, ſive epiſcopus, “
ſive *Magiſtratus*, poteſtatem in rebus “
eccleſiaſticis *abſolutam* habet; ita ut *pro* “
arbitrio quidlibet ſtatuere vel decernere “
poſſit aut debeat circa religionem & res “
eccleſiaſticas; ſed *perpetuo* meminiſſe de- “
bet, ſe Dei *miniſtrum* eſſe, adeoque ad “
ejus juſſa ac voluntatem in verbo Dei “
contentam ſe *in omnibus* componere, “
& contra eum nihil decernere aut face- “
re. Hæc propoſitio veriſſima eſt, ſed qua “
Vedel. ſua ipſe dogmata evertit. 1. Negat in ea magiſtratui *abſolutam* poteſtatem in rebus eccleſiaſticis, at illam diſerte ei attribuet quæſt. ſeq. 2. Negat eum pro arbitrio ſtatuere poſſe in rebus eccleſiaſticis, at in epilogo docet eum *pro arbitrio* ſtatuere poſſe de ſtipendiis miniſtrorum, quæ Vedel. rebus eccleſiaſticis comprehendit quæſt. 8. 3. Magiſtratum *perpetuo* & in *omnibus miniſtrum* Dei eſſe ait. unde ſequitur, poteſtatem ejus non minus eſſe ὑπηρετικὴν
quam miniſtrorum eccleſiæ. addit: Hic “
operæ precium eſſet oſtendere, quomo- “
do quidam Orthodoxi Theologi, qui “
tamen inter ſe nequaquam pugnant, “
poteſtatem Magiſtratus circa res eccle- “
ſiaſticas vocent architectonicam, quo “
ſenſu rurſus alii ad negent. Item, quo “
ſenſu quidam dicant, præcipuam curam “
religionis penes Magiſtratum eſſe: alii “

„ penes miniſtros ſed &c. Tantum addemus, ex hac propoſitione facile patere, nos non in locum unius papæ Romani, tot numero papas conſtituere quot ſummi Magiſtratus ſunt. hæc Vedel. quæ directe defendendis Arminianis adverſus cenſuram D. D. Profeſſoram Leydenſium faciunt, id quod ex eorum verbis patebit. quę hæc ſunt in Confeſſionē
„ Remonſtrantium. c. 25. p. 330. Denique (Remonſtrantes) ſect. 3. & 4. de officio pii Magiſtratus circa ſynodos, & univerſim de toto Magiſtratus in regimine eccleſiæ officio, agunt: Dicunt itaque, officium Magiſtratus eſſe, externum eccleſiæ ordinem ac regimen *architectonice* moderari, & publicum Dei cultum in ea ſartum tectum conſervare. Certe agnoſcimus & nos Magiſtratus hoc officium. Sed quod addunt, *architectonice moderari*, id abſolute *ita dici non poteſt*. Et mox: Chriſtus ut unicus eccleſiæ rex, eccleſiam ſuam ipſe regit & moderatur *architectonice*, non tantum qua interna, ſed & externa & publica eſt, idque *per Miniſtros ſuos*; qui hic miniſtri tantum ſunt, & miniſterialiter agunt: *neque ulla alia poteſtas vere architectonica eſt in Dei Eccleſia*. Ac proinde, ſiquis abſolute dicat, Magiſtratum Eccleſiæ regimen *architectionice* moderari, ille Chriſti regimen non leviter infringit: aut, ſi ſubal-

terne

terne ſub Chriſto talem architectoni- "
cam intelligat, ille Eccleſiam ſacrum- "
que miniſterium, quod immediate ſub- "
eſt Chriſto, jam Magiſtratui ita ſubmit- "
tit, ut Miniſtri non modo Dei, ſed & "
Magiſtratus miniſtri dici debeant, atque "
ita Eccleſiæ, miniſterioque eccleſiaſtico "
ſua poteſtas divinitus tributa ſubduce- "
tur. Quin hoc modo (nota) *tot papæ* "
erunt quot ſunt ſupremi Magiſtratus. "
Quis non videt directe Vedelium ſua verba verbis Leydenſium opponere voluiſſe, & enervata eorum ratione Arminianæ ſententiæ velificari? Nam quod cum ictum declinare ſe putat, eo quod poteſtatem Magiſtratus in Eccleſiam abſolutam eſſa negat, nihil agit, neque enim ipſi remonſtrantes talem ei tribuunt, ſed ſub Chriſto, & ſub verbo Dei. Facilis autem ad eam rationem reſponſio, nempe non in omnibus antichriſtos hos politicos, Antichriſto proprie dicto comparari à Leydd. ſed in hoc, quod utrique miniſtrorum Euangelii ſe Dominos, hos vero ſua mancipia eſſe poſtulent. Addo, Vedelium etiam in alio & graviore negocio è Magiſtratu papam facere, dum ejus leges divinis æquiparat, & conſcientias eis obligari ſcribit. quęſt. præced. Sed architectonicam poteſta- "
tem in eccleſia quidam orthodoxi theo- "
logi Magiſtratui tribuunt, inquit Vedel. "

Reſp. idem & Remonſtrantes objiciunt Apolog. p. 294 & ſeqq. ſed nullum afferunt è reformatis præter Paræum, è Lutheranis præter Surmium, qui ea voce utatur. Dico, non quid illi dixerint, ſed quam recte, expendendum eſſe. Addo, etiam Leydd. loco citato agnoſcere poteſtatem architectonicam convenire magiſtratui, *ſed ſuo modo, nempe politice.* etiam præclare Cl. Voetius, de poteſt.
„ Eccl. Diſp. 1. th. 7. Quæ non ſunt nego-
„ cia regis, in ea rex (ſeu Magiſtratus) non
„ habet regiam & *architectonicam* pote-
„ ſtatem, ſc. formalem, directam, & in-
„ trinſecam, qualem habet in bona, ne-
„ gocia, & homines ſibi ſubditos. Sed ne-
„ gocia Iehovæ (hoc eſt eccleſiaſtica) non
„ ſunt negocia regis: Ergo. Minor proba-
„ tur ex 2. Par. 19. ubi exſerte à ſe invicem
„ diſtinguuntur. Major per ſe evidens eſt:
„ nec ulla patet exceptio; niſi dicant eum
„ in negocia omnia Iehovæ habere pote-
„ ſtatem, non ut in ſe ſunt, & tanquam
„ ſpiritualia ſpiritualiter conſiderantur,
„ ſed ut attingunt temporalia, &c. Atqui
„ jam eo recidunt quo volumus; eſſe ſcil.
„ hanc poteſtatem ſupremam extrinſe-
„ cam, indirectam, circa ſacra, non in ſa-
„ cris: non immediate aut directe verſan-
„ tem circa ſacra qua talia, ſed circa ſacro-
„ rum adjuncta & requiſita, ſive antece-
„ dentia, ſive conſequentia. Utinam Ve-
delius

delius tandem, miſſa auctoritate humana, ſacram ſcripturam ſuper his conſuleret! ibi inveniret, nuſquam Magiſtratum eccleſiæ *architectum* vocari: ſed Paulum Apoſtolum non vereri ſibi id nominis attribuere reſpectu eccleſiæ Corinthiorum 1. Cor. 3. 10. κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ τὴν δοθεῖσάν μοι, ὡς σοφὸς ἀρχιτέκτων θεμέλιον τέθεικα, &c. Ad alteram quæ- “
ſtionem, an præcipua cura religionis pe- “
nes Magiſtratus ſit (quod nonnullos or- “
thodoxos ſtatuere ait) an penes miniſtros, quia Vedelius eam non ſolvit, licet quid ſentiat facile ſit divinare, ita judico: Si cura religionis quæ Magiſtratui convenit, conferatur cum aliis ejuſdem Magiſtratus curis, (quod fortaſſe fecerunt auctores prioris ſententiæ) illam præcipuám eſſe debere; ſi conferatur cum ea quæ miniſtris impoſita eſt, hanc majoris multo momenti eſſe, vigilant enim miniſtri pro animabus auditorum ſuorum, & media ſalutis eis procurant, non objective modo, ſed & formaliter, quod de Magiſtratibus dici non poteſt,

QUÆ

QUÆSTIO XI.

An Magiſtratus in rebus Eccleſiaſticis ſubjectus ſit miniſtris Eccleſiæ?

ID primo negat verum eſſe ſenſu Pontificio, deinde ad ſenſum quorundam (ut ait) orthodoxorum accedit. Senſum Pontificium omittimus, orthodoxos quos impugnat defendemus. contra eos
,, hanc propoſitionẽ format: Quod, quan-
,, do orthodoxi quidam dicunt Magiſtra-
,, tum eſſe ſubditum miniſtris in rebus ec-
,, cleſiaſticis; id accipiendum ſit, non pro-
,, prie, ſed improprie, non per ſe, ſed per
,, accidens, adeoque catachreſtice, nimi-
,, rum reſpectu Chriſti & verbi illius, cujus
,, illi ſunt miniſtri, præcones, & nuncii.
Hic primo obſervandum, non tam orthodoxos hoſce (tales eſſe fatetur ipſe Vedel.) quam ipſum Apoſtolum catachreſticæ & abuſivæ locutionis argui. Is enim Ebr. 13.17. ait: πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν καὶ ὑπείκετε. *Obedite præpoſitis veſtris & obſecundate*. cum tanto Dei ſervo nos eodem carbone à Vedelio denigrari glorioſum ducimus. doceat ergo cenſor iſte ipſum Apoſtolum proprietates vocum, & poſtea ad nos, qui idem cum illo dicimus, ſugillandos accedat. vel oſtendat, qua neceſſitate vox

obedien-

Digitized by Google

obediendi ibi in impropria, abuſiva, catachreſtica ſignificatione, & non in propria accipienda ſit. Neque enim valet hic τὸ αὐτὸς ἔφα. nos hoc diſerte negamus. 2. quod ait, Magiſtratum eſſe ſubditum miniſtris in rebus eccleſiaſticis, non per ſe ſed per accidens, id admittimus. Nempe, non eſt ſubditus eis qua Magiſtratus, ſed qua fidelis, ſed an inde ſequitur ulla improprietas & catachreſis? hoc valde inſcite diceretur. Sequeretur enim viciſſim, nullum membrum eccleſiæ proprie eſſe ſubditum Magiſtratui, quia ei ſubditus eſt non qua membrum Eccleſiæ, ſed qua civis aut incola. tibine Vedeli, idem eſt per accidens, quod improprie & catachreſtice? ergo improprie dicetur homo doctus, homo pulcher, homo febricitans, ſol lucidus, cygnus albus, corvus niger, & in ſumma, quandocunque prædicatur accidens de ſubſtantia, erit impropria, catachreſtica, abuſiva locutio. imo ſequetur, Magiſtratum fidelem, nec proprie Magiſtratum, nec proprie fidelem eſſe, quia utrumque alteri accidentarium eſt. at id & anabaptiſtis favet, & Magiſtratibus Chriſtianis omnem ſpem ſalutis eripit. nulli enim niſi proprie fideles ſalvabuntur. imo ſequetur, nullum hominem proprie fidelem eſſe, quia fides homini non eſſentalis ſed accidentaria eſt, hæc intolerandа

leranda eſt philoſophicorum termino-
rum inſcitia in eo qui publice philoſo-
„ phiam docuit. Sed, hanc eſſe doctrinam
„ & mentem orthodoxorum theologo-
„ rum patere ait ex ipſorum declaratione,
„ qua phraſin illam explicant. Ita enim,
„ ait, *omnes* declarant. magna aſſertio. ſed
languidiſſima probatio. tantummodo
enim quatuor adducit, Junium, Marty-
rem, Paræum, Rivetum, quaſi præter il-
los nulli vel ſint vel fuerint orthodoxi
theologi. Sed ſingulos conſideremus.
Primus eſt Fr. Jun. l. 5. de Pont. cap. 7.
At is ibi non negat, Magiſtratum pro-
prie ſubjectum eſſe miniſtris in rebus ec-
cleſiaſticis. ea verba ibi non reperiuntur.
„ imo contrarium dixit c. præced. Eccle-
„ ſiaſticæ poteſtati civilis *ſubjecta eſt*, ſe-
„ cundum quid, non abſolute. idem &
nos dicimus, neque enim abſolute. i. ſe-
cundum omnia, ſed ſecundum quid, id
eſt, in rebus eccleſiaſticis Magiſtratum
fidelem eccleſiæ ſubditum eſſe dicimus.
Quanquam non quæcunque Junius hic
habet probari poſſint. ut, quod *abſolu-
tam* poteſtatem Magiſtratui tribuit,
quod ait eum eccleſiaſticæ poteſtati in
ſpiritualibus ſubjectum eſſe *voluntate,
non neceſſitate*, quaſi Magiſtratui in ſpi-
ritualibus eccleſiæ rebellare liceat: item
quod neget eccleſiæ *coactionem auctori-
tativam*. in quo Vedelium adverſarium
habet,

habet, qui eccleſiæ *poteſtatem coactivam ſpiritualem* attribuit. Verum operę pretium eſt verba Junii quæ Vedelius adducit cognoſcere. Sunt autem ex c. 7. n. 3. ubi Vedel. ait eum expreſſe negare, Magiſtratum ſubjectum eſſe Eccleſiæ, quod ſi Vedel. de Magiſtratu fideli, ut debet, intelligat, jam nulla in talem diſciplina exerceri poſſet, ſi vel in aperta ſcelera, vel in turpiſſimas hæreſes laberetur. qua aſſentatione quid horribilius in doctore theologo? ſed audiamus Junium. is negat, inquit Vedelius, quod Bellarmin. dixerat: Temporalem poteſtatem ſubjectam eſſe ſpirituali. recte. Idem nos negamus. Sed eſtne hoc negare Magiſtratum (fidelem) eſſe ſubjectum eccleſiæ? minime gentium. neque enim nos *poteſtatem* politicam poteſtati eccleſiaſticæ, ſed perſonas politicas eccleſiæ ſubjicimus, non qua politicæ, ſed qua fideles. Alioqui nec mercator, nec opifex fidelis eccleſiæ ſubjectus erit, quia eorum munera eccleſiæ ſubjecta non ſunt. à quo phantaſmate Vedelium non alienum eſſe mox videbimus. Hiſce enucleatis, totum Iunii dictum cum ſua probatione admittimus. Conſideranda ſuperſunt quæ Vedelius citat ex ejuſdem c. 6. n. 2. ſunt autem hæc: Diſpar omnino ratio eſt politicæ poteſtatis & eccleſiaſticæ; illa *abſoluta* & principalis eſt; hæc

,, hæc limitata, & miniſtratoria ſolum.
,, Rex enim Deo ſubjectus eſt, quia nulla
,, eſt poteſtas niſi à Deo: at non ſubjectus
,, præconi illius eſt, etſi pręconem propter
,, mittentem audit. Ubi à Vedelio quæro,
an poteſtatem Magiſtratu; *abſolutam*,
cum Iunio, tradat in rebus politicis, an
eccleſiaſticis? ſi in politicis, 1. Nihil facit ad rem Vedelii. quæ enim conſequentia eſt: Magiſtratus habet poteſtatem abſolutam in *politicis*, ergo non eſt ſubjectus eccleſiæ in *eccleſiaſticis*? quod ſi abſolutam hanc poteſtatem Magiſtratui tribuit in rebus eccleſiaſticis, jam contradicit theſi præced. ubi eam expreſſe Magiſtratui detraxit. 2. Quæro, an poteſtatem *abſolutam* tribuat omni Magiſtratui, tam ſubalterno quam ſupremo? negabit, opinor, & ſolum ſupremum Magiſtratum ſe intelligere dicet. Itaque per illud argumentum, non Magiſtratus ſubalterni, ſed ſoli Reges, Principes, Ordines generales, & forte aliquot urbes privilegiatæ ab eccleſiæ juriſdictione eximentur. quod ad theſin Vedelii, quæ de Magiſtratu in communi loquitur, non quadrat. 3. Ne regibus quidem omnibus abſoluta poteſtas convenit. & ſpeciatim, incurrit in fundamenta noſtræ reip. qui hanc eis aſſerit. Si enim poteſtas abſoluta conveniſſet regi Hiſpaniarum, majeſtatis crimine

mine ſe alligaſſent Ordines harum regionum, quod poteſtatem illam limitare, & regem ipſum deponere auſi fuerunt. Quærat ergo Magiſtratus illos cum *abſoluta poteſtate* Vedelius. eos forte citius in regimine Othomanorum quam inter Chriſtianos reperturus eſt. Quod porro ait Iun. regem Deo ſubjectum eſſe, non præconi illius, id de dignitate regia accipimus, de perſona, ut fidelis eſt, negamus. Quia præco ille non tantum præco eſt, ſed & paſtor, & pater, & præfectus, & judex eccleſiaſticus, omnium eccleſiæ membrorum (in ſpiritualibus dico) ne rege quidem excepto. & hæc de Iunio.

Alter teſtis eſt Martyr Loc. Com. Claſſ. 4. c. 13. §. 10. audiamus ejus verba: Duæ, inquit, ſunt ſubjectiones, una politica & civilis, cui ſubjiciuntur omnes homines: qui, ſiquid offenderint in leges, expectant à juſtis Magiſtratibus carcerem, mulctam pecuniariam, exilia, mortes, & externas pœnas: ſin recte fecerint, honores &c. Hoc autem pacto civilis poteſtas non ſubjicitur miniſterio verbi Dei, quia non iſtis pœnis ab illo affici poteſt & coërceri. Altera ſubjectio eſt ſpiritualis, hoc eſt fidei & *obedientiæ*. Statim enim ubi audiunt homines de officio ſuo ex verbo Dei, & hoc vel illud faciendum eſſe, cedunt, credunt & ob-

tempe-

„ temperant, quia quod dicitur eſſe ver-
„ bum Dei ſentiunt. atque hi ſunt utriuſ-
„ que poteſtatis fines. Sed poſt nonnulla, quaſi ſe recolligens, cum non perpetuo contingat homines ſtatim cedere, cre-
„ dere & obtemperare, Verum, inquit,
„ quid ſi Principes Chriſtiani, cum ex ver-
„ bo Dei admonentur de publicis & gra-
„ viſſimis peccatis, nolunt audire, nec
„ emendare quæ male commiſerunt? quid,
„ inquam, hic faciet Epiſcopus? Ambro-
„ ſius excommunicavit Theodoſium Im-
„ peratorem &c. Innocentius item ex-
„ communicavit Arcadium. Et ſunt verba
„ ſextæ ſynodi, quod ſi principes impedire
„ velint, *excommunicentur*. Oſtendat hic, ſi poteſt, Vedelius, qua ratione ſubjectio Eccleſiaſtica minus propria ſit quam civilis, (cum tamen illa graviorem pœnam in immorigeros ſecum trahat, quam quæ inter civiles eſt graviſſima) & virum ſe præſtiterit.

Tertius Vedelii teſtis eſt Paræus in Rom. 13. p. 1081. cumautem ille numerus cum meæ editionis paginis non conveniat, nec verba Paræi Vedelius ponat, non divinabo quonam digitum intendat. Malo credere eum cum Vedelio facere, ne omni tandem teſtimonio is deſtituatur. Nam in multis quæ hujus ſunt argumenti Pareus errat, in quibus reliquis Eccleſiæ luminibus præjudicare

non

non poteſt, nedum ipſi veritati.

Quartus eſt Rivetus in Decal. p. 258. &c. cujus hæc citat verba: Talis eſt parendi ratio, qua ſenatui eccleſiaſtico Magiſtratus paret. Non enim hoc facit obedientia civili, quæ collegium Eccleſiaſticum reſpiciat: ſed obedientia religioſa, quæ Deum reſpicit; ut qui apparitori à Senatu miſſo parebat, Senatui proprie parebat, non apparitori: vel etiam judicio rationis, judicat unicuique in ſua arte perito credendum eſſe, & rationibus ducitur, quibus id utile eſſe ipſi perſuadeatur, ita tamen, ut, ſi in talibus non pareat (quod ei liberum manet) non habeat quod pœnam temporalem metuat, qui non eſt ſubjectus ratione talis pœnæ, & ſubjicere ſe debeat rationi & veritati. Hæc Rivetus in quibus notandum, quibus de rebus loquatur, in quibus Magiſtratui licitum ſit non parere judicio eccleſiaſtico. Hoc oſtendit initium paragraphi, ubi ait: Quod ſi Magiſtratus conſideretur *formaliter & qua talis*, non ſubjicitur judicio eccleſiaſtico, ut poſſit *dirigi ex auctoritate in munere ſuo*, & ad nutus ſacerdotum, ut volunt pontificii, *bella ſuſcipere*, aut alia moliri, quæ *à dignitate muneris ſui pendent*; vel, ut poſſint redigi in ordinem, aut *loco moveri*. In hiſce quum liberum facit Rivetus Magiſtratui non parere

parere judicio eccleſiaſtico, toto pectore ei aſtipulamur. quod ſi ea licentia extendatur ad res pure ſpirituales, nec mentem eam Cl. Riveti eſſe putamus, nec cum verbis ejus ſatis convenire. Quomodo enim liberum eſt *non parere* ejus judicio, qui Dei nomine agit, & ex ejus præſcripto, cui obedientia religioſa obſtrictus ſis? neque in talibus ſufficit judicium rationis propriæ, quo judicet quiſpiam unicuique in ſua arte perito credum eſſe. nam præter peritiam, quæ etiam in laïco & privato eſſe poteſt, hic in conſiderationem venit poteſtas illa ſpiritualis, quæ Senatui Eccleſiaſtico, & nulli alii, in talibus data eſt. Hæc neceſſitatem parendi affert, quam in ſola peritia fruſtra quæri clarum eſt. Ipſum ſimile apparitoris, qui nomine ſenatus agit, huic veritati lucem fœneratur: neminini enim ut in talibus ei non pareret liberum manebat. Et tantum de Vedelii teſtimoniis. Accedamus ad alias ejus probationes.

Earum prima eſt: Quia obedientia „ quæ debetur miniſterio non termina„ tur ad ipſos miniſtros, ſed ad Chriſtum „ cujus præcones illi ſunt. Reſp. Non „ terminari ad miniſtros *ultimo* fatemur, nullo modo ad eos terminari negamus: alioqui male præciperet Apoſtolus: *obedite præpoſitis veſtris*. Par ratio eſt in

Magi-

Magiſtratibus, obedientia enim quæ eis debetur, non ultimo ad ipſos terminatur, ſed ad Deum cujus miniſtri ſunt. Nec tamen ideo abſolute negandum eam etiam ad Magiſtratum terminari.

Secunda ratio: Quia nullus etiam minimus fidelis per ſe & proprie loquendo ſubditus eſt miniſtris in rebus eccleſiaſticis. Ergo multo minus Magiſtratus, cujus officium etiam in illis rebus in imperio conſiſtit. Reſp. Hic jam aperta fronte totum regimen eccleſiaſticum è medio tollitur. Quomodo enim regent illi quibus nemo ſubditus eſt? quod de miniſtris hic affirmat Vedel. Dicimus falſiſſimum eſſe hoc antecedens. Nam & per ſe, & proprie omnis fidelis miniſtris eccleſiæ ſubeſt. juxta illud: *Obedite præpoſitis veſtris.* item *qui eccleſiam non audierit, &c.* Nec verum eſt Magiſtratus officium in rebus eccleſiaſticis in imperio conſiſtere, neque enim is imperare poteſt quis ligandus, quis ſolvendus ſit &c. neque ſi eſſet, id ad rem faceret. faceret enim hoc ut Magiſtratus, & nihilominus ut fidelis proprie & per ſe eccleſiæ ſubditus eſſet. Sed rationem tam *ἀτάκτυ* axiomatis audiamus: Antecedens, inquit, patet ex eo, quod proprie ſubditum ſeu ſubjectum eſſe correlativum eſt illius qui Dominus eſt, ſive imperium habet: Atqui miniſtri nullum imperium

imperium habent, teſte Chriſto. Matth. 20.25. &c. Marc.10.42. &c. Luc. 22.25. &c. & Petro 1.Epiſt. c. 5.3. Reſp. majorem hujus ſyllogiſmi non eſſe univerſaliter veram, nam & liberi parentibus, & diſcipuli præceptoribus ſubditi ſunt, qui tamen nec Domini ſunt proprie, (ſic enim filii & diſcipuli eſſent ſervi) nec Imperatores. ad minorem, fatemur miniſtros imperium & dominium in eccleſiam non habere, & huc ſpectant loca ſcripturæ à Vedelio laudata: at paternam poteſtatem eos habere dicimus, cui filialis ſubjectio reſpondet. Pergit: Sed tota eorum officii ratio miniſterialis eſt, ut ſcriptura teſtatur, non ſolum reſpectu Chriſti. 1.Cor.3.5. cap. 4. 1. ſed etiam eccleſiæ. v.5. Reſp. fallaciam committi ex æquivoco. ſunt enim & Chriſti, & eccleſiæ miniſtri; at illius proprie, hujus objective & improprie. audi verba Cl. Proff. Leydd. Synopſ. Diſp.49. theſ.1. ubi dicuntur Miniſtri eccleſiæ, ſervi eſſe, *non proprie eccleſiæ*, ſed Dei & Chriſti Domini relative, idque ſuo ordine & modo; Eccleſiæ vero *præfecti, præpoſiti, Epiſcopi, Paſtores, &c.* Neque tamen Domini eccleſiæ, quod ſolius Chriſti eſt, ſed *Miniſtri* & diſpenſatores *myſteriorum Dei apud eccleſiam*, id eſt *objective miniſtri eccleſiæ*. Hæc Leydd. quæ evincunt, paſtores eſſe ec-

eccleſiæ

cleſiæ miniſtros, eo ſenſu, quia ei ſpiritualia ſibi à Chriſto credita *adminiſtrant*. quod ſi cauſæ ſatis eſſe putet Vedel. ad detrahendam illis proprie dictam ſubjectionem, etiam Magiſtratui eadem ratione illam ſubducet. nam & is eſt Miniſter populi objective, quatenus ei *adminiſtrat* juſtitiam. Qua phraſi utimur in Liturgia noſtra Belgica, precat. poſt concionem, ubi à Deo petimus, ut Magiſtratibus largiatur „gratiam & dona ad juſtitiam ſubditis „ſuis recte *adminiſtrandam*. Scriptura e- „tiam interdum reges populo *ſervire* dicit. v. 1. reg. 12. 7. & ipſe Chriſtus fuit *Miniſter* circumciſionis .i. *Eccleſiæ* Iudaïcæ. Rom. 15. 8. Quod tamen ſubjectionem ei debitam non tollit. Denique, ſi *tota*, quod Vedel. vult, paſtorum officii ratio *miniſterialis* eſt, etiam *reſpectu Eccleſiæ*, quid ſibi vult, quod poteſtatem eis coactivam alibi, ejuſdem Eccleſiæ reſpectu, tribuit? nam, ut *miniſter* cogat *Dominos* ſuos nulla ratio ſuadet. Quod tandem addit ex Riveto p. 264. Magiſtratum à nullo pendere *in* „*talibus*, nec excludi conſilium ſed impe- „rium &c. videndum quæ nam ſint iſta *ta-* „*lia* de quibus agit. Id appaiet ex antecedentibus & immediate conſequentibus, quæ ita ſonant: Negamus itaque decrètis „Eccleſiaſticis regem obſtringi, aut alium „

„ ſummum Magiſtratum, nequa *gladium*
„ convertat, niſi ipſi velint &c. Idem & nos negamus. At aliud hic agitur, nempe de rebus eccleſiaſticis, non politicis aut polemicis. Conſulat porro lector de quæſtione hac Calv. Inſt. l. 4. c. 11. textu 4. & 15. maxime c. 12. t. 7.

QUÆSTIO XII.

An Miniſtri Eccleſiæ aliquo modo pendeant à Magiſtratu in rebus Eccleſiaſticis, & eatenus illi ſubjecti ſint.

AFfirmat Vedel. Nos ita diſtinguimus, ut fateamur cum Cl. Walæo,
„ p. 42. Miniſtros *ſubjici* Magiſtratui ut
„ cuſtodi & defenſori utriuſque tabulæ
„ *CIVILI*. Sed ab eo in rebus Eccleſiaſticis *pendere* negamus. Quod enim ab alio pendet, id ſine eo nec eſſe nec conſervari poteſt. at ſine Magiſtratu & eſſe & conſervari poteſt miniſterium, ut aliquot poſt Chriſtum ſeculis
„ factum eſt. Etiam hanc ait eſſe doctri-
„ nam Eccleſiarum reformatarum. Sed ex nullius Eccleſiæ confeſſione hoc docet. Trahit tamen huc Doctores aliquot quo-

quorum primus eſt Martyr Loc. Com. Claſſ. 4. c. 13. t. 12. ubi ait: Miniſtros Magiſtratui ſubjici, quoad functionem. quia, ſi non recte doceant, nec ex ordine adminiſtrent ſacramenta, Magiſtratus eſt eos in ordinem cogere, &c. Reſp. 1. Verba Martyris in eo caſu vera eſſe, ſi nulli Eccleſiaſtici conventus officium faciant, aut ſi eis officium facientibus non paretur: alioquin hoc Eccleſiæ munus eſſe. ut patet vel in formula confirmationis Seniorum. 2. Subjectionem hic eſſe mutuam. nam pari modo, ſi Magiſtratus communionem cum Eccleſia profeſſus, notorie poteſtate ſua abutatur, inſontes trucidet, remp. perdat, Eccleſiam vaſtet, poteſtate coactiva ſpirituali in ordinem cogendus eſt. Ut ipſe Martyr μαρτυρεῖ, hoc eodem loco: Quemadmodum, inquit, nullus reperitur tam magnus rex vel Imperator, qui non *ſubjiciatur* poteſtati verbi Dei quod à miniſtris prædicatur, ita viciſſim nullus eſt Epiſcopus, qui, ubi deliquerit, non debeat coërceri à civili Magiſtratu. *Quicquid eſt diſcriminis* (nota) *totum* id eſt, ut dixi, *quoad modum coërcendi*. Miniſtri Eccleſiæ id *verbo* faciunt, principes externis pœnis. Ubi obſerva, eum ſub *verbo* etiam exercitium diſciplinæ comprehendere. ita enim paulo ante ait: Ioannes quidem *reprehendit*

,, Herodem, ſed regno eum non abdica-
,, vit. Ambroſius & Innocentius *excom-*
,, *municarunt* Imperatores, at non ſunt
,, progreſſi ulterius. hæc Martyr. ubi ſubjectionem inter Magiſtratus & miniſtros ita mutuam facit, ut diſcrimen tantummodo in modo coërcendi ponat, quorum ille eſt corporalis, hic ſpiritualis.

Secundus Vedelii teſtis eſt Polanus
,, Syſt. l. 7. c. 19. ubi conſtitutionem ordi-
,, nis Eccleſiaſtici, ceremoniarum &c. Ma-
,, giſtratui, exemplo Davidis &c. tribuit,
,, primatum item, quoad curam religio-
,, nis. Reſp. paucis. Quæ ibi dicit Polanus, pugnare cum iis quæ docuit c. 17.
,, Ubi ait: Ius a Deo *Eccleſiæ* datum eſſe
,, conſtituendi ordinem & politiam Ec-
,, cleſiæ. Exempla Davidis & Salomonis, ut & quod de *primatu quoad curam* id eſt, primaria vel præcipua cura religionis adjicit, ſuis locis enucleavimus.

Tertius eſt Paræus Comment. Rom. (c. 13.) dub. 1. p. 1024 (mihi 1334) Verba ejus paulo plenius afferemus, quam Ve-
,, delius fecit: Epiſcopos & miniſtros Ec-
,, cleſiæ etſi *in iis quæ ſunt miniſterii pro-*
,, *pria*, ut in concionibus verbi, adminiſtra-
,, tione ſacramentorum, &c. *non ſubjici-*
,, *antur niſi Deo & Eccleſiæ*, tamen, qua-
,, tenus ſunt cives, *ex parte etiam quatenus*
,, *miniſtri* (quod dubio 5. explicabitur)
,, una cum ſuis poſſeſſionibus, familiis, & rebus,

rebus, poteſtati civivili ſubjectos eſſe debere. Ubi primo manifeſta eſt contradictio. Si enim non ſubjiciuntur niſi Deo & Eccleſiæ *in iis quæ ſunt miniſterii propria*, quomodo Magiſtratui ſubjici dici poſſunt ex parte *quatenus miniſtri?* Nam quatenus miniſtri nihil agunt niſi quod eſt miniſterii proprium. 2. quia dubio 5. hoc ſe explicaturum dicit, videamus quomodo explicaverit. Licet (inquit ibi) Eccleſiaſtici, ut ſunt tales, non pendeant à civili poteſtate ſuprema ſimpliciter, *quantum ad genus doctrinæ & ſacramentorum peragendum*, tamen *pendent ab ea* ſecundum quid, *ratione vocationis, directionis, & cenſuræ* ut mox patebit (liquebit.) Mitto ſordidam locutionem. quid enim eſt, *genus doctrinæ & ſacramentorum peragere?* quis unquam ita locutus eſt? ſed hoc quæro ex Paræo, unde didicerit ita inter munia miniſtrorum diſtinguere, ut doctrinæ & ſacramentorum adminiſtrationem à ſolo Deo & Eccleſia habeant, vocationem vero & cenſuram à Magiſtratu? de vocatione abunde antehac actum, ſed cenſuram eccleſiaſticam pendere a Magiſtratu, opinio theologo indigna eſt. Ita enim clavis regni cœlorum altera à Deo, altera ab hominibus Eccleſiæ traderetur. Nego ergo Paræum illud ſuum *liquebit* præſtitiſſe. Nuſquam enim quod dixit liquet.

Quartus teſtis eſt Cl. Rivetus in Decal. p.265. ubi, præter ea quæ ad quæſt.6.
„ habuimus, ait: Miniſter enim, cum do-
„ ctrinæ radiis illuminat, cum baptiſmo
„ tingit, cum ſalutari ſacramento alit, cum
„ cenſuræ aculeos in contumaces exerit,
„ hæc omnia facit Magiſtratui ſubjectus,
„ ab eo dependens, tutus illo evangelij
„ vindice ac cuſtode gladio, &c. Reſp. non quæri hic, an faciat hæc *miniſter ſubjectus Magiſtratui, & ab eodem dependens,* neque hoc à nobis negari, ſed, an miniſter qui hæc facit *horum reſpectu,* vel *in hiſce* ſubjectus ſit Magiſtratui, & ab illo dependeat. Hoc negamus, &, ſi affirmat Vedel. ſibi ipſi manifeſte contradicet. modo enim negavit ex Paræo, eccleſiaſticos dependere à Magiſtratu *quantum ad genus doctrinæ & ſacramentorum peragendum,* hic contra ex Riveto miniſtrum Magiſtratui ſubjectum facit & ab illo dependentem, *cum doctrinæ radiis illuſtrat, cum baptiſmo tingit, cum ſalutari ſacramento alit.* quæ directe, ſi in ſenſu Vedelij ſumantur, cum Paræanis pugnant. Præterea, aliud eſt, miniſtrum hæc agere *tutum illo Evangelij vindice ac cuſtode gladio*, aliud, *horum reſpectu à Magiſtratu dependere, eique ſubjici.* Illud enim ſolam defenſio-
„ nem notat, hoc vero dominium. Quod
„ autem addit clariſſ. Rivetus, eccleſiam

vel

vel manum non levaturam (hæc ſub Ve- "
delij *etcatera* comprehenduntur) ad "
ictus repellendos, ſiquid Magiſtratus in- "
terturbaverint, de reſiſtentia corporali "
& rebellione, puto, intelligit. neque enim arbitror eum velle, ut eccleſia tacita permittat Magiſtratui qui membrum eccleſiæ eſt eam *turbare.* hoc Elias non fecit, qui Achabo quod *turbaret Iſraëlem* viriliter exprobravit. 1.Reg. 18.18. Nam quod ſubjungit Cl. Rivetus, "
arma eccleſiæ eſſe preces & lachrymas, "
aliquid dicit, non omnia. cum & arma eccleſiæ ſint admonitiones, correptiones, & virga diſciplinæ. Vide de iis armis 2.Cor. 10. 4.5. 6. & confer Cl. Walæum p. 46. ubi reliqua quæ in tali caſu ſunt poteſtatis eccleſiaſticæ ediſſerit. Iam pergamus ad ea quæ ex Cl. Riveto illuſtrandi cauſa porro affert Vedelius:
Potuit, inquit, eodem tempore & re- "
gnum quoddam in artibus (Ariſtotelesj "
apud ſuum alumnum (Alexandrum) ob- "
tinere, eique de tota ſcientiarum ratio- "
ne præcipere, & interim vel ipſius ju- "
venis, vel Philippi patris altiori guber- "
nationi ſubjici: ſic etiam qui ipſos Ma- "
giſtratus docent res ſacras, iiſdem ſub- "
jiciuntur, & ab eorum auctoritate in "
exercitio pendent. Reſp. Hæc prudenter "
accipienda. Publice officium ſuum ordinarie exercere non poſſunt invito Ma-

 giſtra-

giſtratu, at auctoritas tam muneris quam *exercitii* eſt à ſolo Chriſto. Huic in *exercitio* illo parere tenentur, etiam invito Magiſtratu, ut diſerte docet exemplum Apoſtolorum Act. 5. 29. & Cl. Walæus loco quem paulo ante laudavimus. Ad ſimile Alexandri & Ariſtotelis, pluribus poteram, ſed paucis reſpondeo: Si Alexander Ariſtoteli ſubjicitur in præceptis artium, non ſubjicitur *in iis* Ariſtoteles Alexandro, licet civili ejus regimini ſubſit. ita: Si Magiſtratus eccleſiæ ſubjicitur *in rebus ſacris*, non ſubjicitur *in iis* eccleſia Magiſtratui, licet civili ejus regimini ſubſit.

„ Quintus teſtis eſt Cl. Walæus. qui
„ tota parte ſecunda libri ſui hanc rem
„ tracta, & oſtendit, quouſque officium
„ miniſtrorum ſubjectum ſit officio Magi-
„ ſtratus. Reſp. Initio libri ait; ſe ex verbo Dei indagaturum, quouſq; hoc officium officio Magiſtratu ſubjectum ſit, *aut non ſit*. Aliquouſque ergo ſubjectum eſſe vult, aliquouſque non. Sit ergo (nam de verbis non laboramus) ipſe ſuæ mentis interpres. Scribit (citante Vedelio ex pag. Gallicæ editionis 64. quæ in no-
„ ſtra, ni fallor, eſt 48.) Se, quando ait
„ miniſtrum noneſſe ſubditum aut ſervum Magiſtratus (non dicit hoc Walæus, ſed Doctores Eccleſiæ non eſſe vicarios aut miniſtros Magiſtratus) loqui de partibus

bus eſſentialibus & ſubſtantia miniſterii "
ipſorum (ergo de prædicatione verbi, "
adminiſtratione ſacramentorum, exer-
citio diſciplinæ &c. quæ tamen Vede- "
lius, clariſſ. Rivetum eodem trahens,
Magiſtratui ſubijcere conabatur) non de "
circumſtantiis adminiſtrationis aut mi- "
niſterij. quæ verba, quid Vedelium ju- "
vent videre non poſſum, niſi prædicatio-
nem verbi & reliqua quæ memoravimus
ad eſſentiam miniſterii Euangelici per-
tinere neget, & in numerum circum-
ſtantiarum abjiciat. Quod ſi facit (& eo
reſpectu Paſtores Magiſtratus *ſervos* eſſe
poſtulat) rogo eum ut nos doceat,
quid igitur ad ſubſtantiam miniſterii
pertinere putet? idem ſenſus eſt eorum
quæ citantur ex Walæi pag. 67. & 128.
(quæ in Belgica editione invenio p. 104.)
ut legenti perſpicuum erit.

QUÆSTIO XIII.

An Magiſtratus honore & dignitate inferior ſit perſonis Eccleſiaſticis.

AD hanc quæſtionem ita reſpondet:
Magiſtratus ſummus in Eccleſia "
Chriſtiana primum locum obtinet. quæ "
verba quæſtionem vel non, vel perquam
obſcure attingunt. Si negative ad quæ-

ſtionem reſpondere voluit (voluiſſe autem liquet, cum Bellarmino eam affirmanti propoſitionem ſuam oppoſuerit) „ ita reſponſum oportuit: Magiſtratus ho„ nore & dignitate non eſt inferior perſo„ nis eccleſiaſticis. vel; eſt ſuperior perſo„ nis eccleſiaſticis. In quo nos ſibi refragantes non habuiſſet, modo politicum honorem intellexiſſet, non eccleſiaſticum, quem Magiſtratus non habet. Nunc iis verbis reſponſum ſuum involvit quæ Delio natatore opus habent. nam 1. De Magiſtratu in genere propoſuit, de Magiſtratu ſummo reſpondet. Itaque quærendum relinquit, quid de Magiſtratu ſubalterno ſentiat? quem locum illi det in eccleſia? 2. In eccleſia primum locum obtinere, duplicem ſenſum habere poteſt; vel enim de loco proprie dicto, & eccleſia pro templo, aut etiam eccleſiaſtico conventu poteſt accipi, vel locus pro dignitate, & eccleſia pro regno Chriſti proprie ſumto. ſi hoc poſteriori modo accipiat Vedel. coincidit reſponſum ejus cum eo quod in prolegomenis dixit: nempe Magiſtratum eſſe præcipuum membrum Eccleſiæ. quod ibi excuſſum eſt. at ſi priori modo (ut videtur è præcedentibus & ſequentibus, ubi ſeſſionis in conventibus Eccleſiaſticis meminit) non ſatisfacit quæſtioni, cum honor & dignitas Magiſtratus

in illa

in illa ſeſſione (ſine qua tota conſiſtere poteſt) non ſit ſita, ſed in majeſtate regiminis politici: id enim ei proprium eſt, & ei omnes homines, etiam eccleſiaſtici, ſubjectionem & honorem deferre tenentur. Ad rem ipſam quod attinet, hæc eſt Eccleſiarum noſtrarum praxis: Magiſtratui è ſenatu ad eccleſiaſticum conventum ablegato, locus ab eccleſiaſticis perſonis ſegregatus, ad latus dexterum præſidis aſſignatur. hic nihil habet Vedelius quod carpat. At Magiſtratus ſi in conventu eccleſiaſtico compareat, vel ut ſenior ab Eccleſia electus deputatuſve, vel ut membrum Eccleſiæ, locum habere ſolet poſt Eccleſiæ Paſtores, cum eo reſpectu paſtoris dignitas major ſit. Pergamus in Vedelio.

Hæc, inquit, propoſitio eſt etiam doctrina totius eccleſiæ reformatæ. Reſp. eo quem diximus ſenſu, fatemur; at diverſo, negamus. Pergit: ſpeciatim eccleſiæ orthodoxæ Anglicanæ, ut conſtat, & omnium eorum Theologorum qui poteſtatem Magiſtratus in rebus eccleſiaſticis primatum Regium vocant. Reſp. 1. Eccleſia Anglicana, & doctores illi, una cum iis quos poſtea citat, non conſtituunt totam eccleſiam reformatam. itaque Vedel. non probat quod intendit. 2. Eccleſiæ Anglicanæ regimen δὶς διὰ πασῶν differt à regimi-

ne reliquarum eccleſiarum reformatarum, itaque ab illo ad hoc nulla eſt conſequentia. niſi Vedel. etiam miniſtros eccleſiæ in conventibus politicis locum ac votum habere velit, quod ibi fit. 3. Quod ad eos theologos, qui in eccleſiaſticis primatum regium defendunt, non ſunt illi omnes Theologi eccleſiæ Anglicanæ, ſed ſoli illi qui Hierarchici dicuntur, quique ex rege papam, ex regina papiſſam fecerunt, ut ſuo loco oſtendemus. eorum opinio à purioribus in illo regno Theologis rejicitur. v. Edw. Didoclavium Altaris Damaſceni c. 1. De primatu regio &c. nos breviter ad Vedelium: Primatus nomen vel eſt à primus, vel à primas. utrovis modo ſumatur, negamus regem vel primum eccleſiaſticorum, vel primatem eſſe. Primus enim eccleſiaſticorum eſſe non poteſt qui eccleſiaſticus non eſt. multo minus primas. Nam nec in regno Angliæ primas epiſcoporum eſt rex, ſed Archiepiſcopus Cautuarienſis. Deinde nos in hiſce oris nec regem nec primatem habemus aut agnoſcimus. theologi ergo qui ita loquuntur Eccleſias reformatas ſuis formulis alligare non poſſunt. Quæ ex reliquis doctoribus citat facile omnia admittimus, modo inter civiles & eccleſiaſticos honores maneat diſcrimen. Quod Paræus Magiſtra-

giſtratum in eccleſia primum eſſe dicit, id quantum ſatis eſt, tum ad prolegomena, tum ad hanc quæſtionem evolutum eſt. E quibus etiam liquere poteſt, qualis ſit ſubordinatio illa quoad honorem, quam concedit potius quam ponit Walæus, nempe talis, ut ipſe ibidem ait, quæ miniſtros in officio ſuo ſoli Chriſto & verbo ejus obſtringat, & univerſum eorum miniſterium ipſis immediate ſub Chriſto relinquat. Subordinatio ergo illa nihil eſt aliud quam ſubjectio quoad honorem & reverentiam civilem. quod idem Walæus Magiſtratus *capita populi* vocat, recte facit, at inde non ſequitur eos primos eſſe in Eccleſia. ſequeretur id, ſi eſſent *capita eccleſiæ*, quod Walæus loco ante citato diſerte negat. pergit:

Atque hanc quidem eſſe ſententiam eccleſiarum reformatarum, patet etiam ex praxi illarum in ſynodis & aliis conventibus eccleſiaſticis (praxin illam jam Vedelium docuimus) item ex eo, quod in adminiſtratione rituum ſacrorum, ſpeciatim ſ. cœnæ (ubi certe omnis ambitio quam maxime procul eſſe debet) hunc debitum honorem deferre ſolent paſtores reformati Magiſtratibus ſummis, ut ii miniſtri qui ſacram cœnam non ipſi adminiſtrant, non ante menſam Domini accedant quam Magiſtratus acceſſerit,

Digitized by Google

ceſſerit, &c. Hic primo obſervandum, Vedelium loqui de Magiſtratibus *ſummis*, diſtincte à ſubalternis. itaque ſolos reges, principes & ordines generales vult priores ad cœnam accedere, conſules autem & ſenatores urbium non item. quaſi non & ipſi eſſent capita populi. at de honore & dignitate Magiſtratus in genere ſumti quærebatur, & de eo omnes ejus teſtes loquuti ſunt. itaque quæſtioni ſuæ non facit ſatis, dum multo maximam partem Magiſtratuum ab hoc honore excludit. quod ſi, interpolata ſua ſententia, etiam urbanos Magiſtratus primos accumbere debere cenſeat, quæram ubinam iſta *praxis* ſit (de qua tam confidenter loquitur) *in eccleſiis reformatis*? nam in toto Belgio, quantum mihi ſciſcitanti innoteſcere potuit, praxis contraria obtinet 2. obſervandum, eum loqui de iis miniſtris tantum qui cœnam non adminiſtrant: at ex ejus rationibus ſequitur, etiam eos qui adminiſtrant, non ante ſed poſt Magiſtratus accedere debere. Nam, propter hunc actum non deſinunt Magiſtratus eſſe capita populi, nec deſinit ille miniſter, miniſter eſſe; imo actus ille eſt veriſſimum miniſterium. & tam ab eo qui miniſtrat quam à reliquis (quod & ipſum eſt inter rationes Vedelianas) ambitio procul eſſe debet. vide ergo quid ſequatur: Magiſtratus

giſtratus menſæ Domini primus ac ſolus accumbet, miniſter, tanquam pincerna, vel à tergo, vel, ſi permittatur, ex adverſo ſtabit, menſa tamen excluſus, & accumbentibus Dominis panem ac vinum porriget, mox poſt Dominos, cum conſervis ſuis accumbet. en, quo tandem miniſterium eccleſiæ detrudatur. ſed addit: quod conforme eſt præ- “
cepto Spiritus Sancti, jubentis per Pau- “
lum ut omnia bono ordine in eccleſia “
fiant, &c. quæ mera petitio principii eſt. “
nam hunc ordinem bonum eſſe non dicendum tantum ſed probandum erat. id quod nunquam fiet. Atque hic mihi commodum ſeſe offert nobiliſſimus locus nobiliſſimi ſcriptoris Ioannis Chryſoſtomi in 2. Theſſ. 3. pag. 240. Πάντα (inquit) ἡμῖν καὶ ὑμῖν ἴσα, καὶ αὐτὰ τὰ κεφάλαια τῶν ἀγαθῶν. οὐ μετὰ πλείονος μὲν ἐγὼ δαψιλείας, ὑμεῖς δὲ μετὰ ἐλάττονος μετέχομεν τῆς ἱερᾶς τραπέζης, ἀλλ᾽ ὁμοίως ἑκάτεροι ταύτης ἐφαπτόμεθα. εἰ δὲ ἐγὼ πρότερος (nota) οὐδὲν τοῦτο μέγα, ἐπεὶ καὶ ἐν τοῖς παισὶν ὁ πρεσβύτερος πρότερος τὴν χεῖρα ἐκτείνει εἰς τὴν ἑστίασιν, ἀλλ᾽ ὅμως οὐδὲν πλέον παρὰ τοῦτο γίνεται, ἀλλὰ πάντα ἴσα ἡμῖν. & mox: ποῦ οὖν τὸ πλέον ἐμοῦ; ἐν ταῖς φροντίσιν, ἐν τοῖς πόνοις, ἐν ταῖς μερίμναις, ἐν τῷ ἀλγεῖν ὑπὲρ ὑμῶν. hoc eſt: *Omnia nobis & vobis ſunt paria, & eadem bonorum ſumma. Non cum majori ego lautitia,*

vos

vos autem cum minori ſacram menſam participamus, ſed ſimiliter utrique eam tangimus, quod ſi ego prior, nihil id magni eſt, quando & inter liberos qui major eſt natu, prior manum ad fercula extendit. ſed nihil inde fit amplius, verum omnia nobis ſunt æqualia. Vbi ergo mea eſt præcellentia? in curis, in laboribus, in ſollicitudinibus, iu dolore quem veſtra cauſa ſuſtineo. Hæc Chryſoſtomus. Quæ & praxin illius temporis indicant, & ſuperbiæ notam ab ea, apud æquos arbitros & ſacroſancti miniſterii amantes, facile deprecantur. Opponit ſibi Vedelius deinde; theologos quoſdam orthodoxos dicere, Miniſterium eccleſiæ ſuo modo dignius eſſe officio civili. ut Paræus & Rivetus loquuntur. reſpondet autem, illos loqui de poteſtate quæ tantum civilis eſt, hoc eſt, de Magiſtratu inferiore, penes quem non eſt gubernatio eccleſiæ, non autem de poteſtate civili architectonica. item loqui eos de eo quod miniſtris non per ſe ſed per accidens competit, nimirum reſpectu Chriſti, cujus ſunt legati: quamvis & ipſi Magiſtratus miniſtri Dei ſint, & quidem ita ut Dii vocentur, qui appellationis honor miniſtris eccleſiæ in ſcriptura non tribuitur. Quot verba tot peccata. Nam primo, diſtinguit inter Magiſtratum inferiorem & ſuperiorem, ita ut illi poteſtatem

ſtatem tantum civilem tribuat, huic (quod ratio oppoſitionis exigit) & civilem & eccleſiaſticam. Eece ergo duo gladii hic. ecce politicum Antichriſtum, & tot Papas quot ſupremi Magiſtratus. 2. negat penes Magiſtratum inferiorem eſſe gubernationem eccleſiæ, qnibus verbis omnibus Magiſtratibus urbanis (exceptis forte urbibus quibuſdam privilegiatis) gubernationem eccleſiæ auſert, & quæ tanto molimine pro Magiſtratu diſputavit, ad ſolos Reges, Imperatores, &c. reſtringit. In noſtris ergo regionibus è politicis ſoli Ordines generales eccleſiam gubernabunt. illi ſoli ubique paſtores vocabunt, ſeniores eligent, de religione judicabunt, in ſynodis præſidebunt, poteſtatē in paſtores coactivam ſoli habebunt, ad illos ſolos recurrendum erit quoties diſciplina paſtores abutuntur, &c. Omnes enim urbani Magiſtratus hic à gubernatione eccleſiæ rejiciuntur. Penes eos (audite Magiſtratus urbani) non eſt, inquit Vedel. gubernatio eccleſiæ. At contrarium aſſeruit ad Q. 4. ubi ait, Magiſtratum ſubalternum eſſe principale membrum cujuſque eccleſiæ, ideoque in vocatione Paſtorum eſſe agnoſcendum, quamvis lege ſpeciali (nota) ſummi Magiſtratus ad eam rem auctoritatem *non accepiſſet.* quis tam contradictoria

ctoria conciliabit? nemo in æternum. 3. Si miniſterium eccleſiæ (cujuſque) eſt ſuo modo dignius officio magiſtratus inferioris, quod per ſuam diſtinctionem concedit Vedel. ſequitur conventum miniſtrorum provincialem ſuo modo digniorem eſſe conventū Ordinum provincialium, & conventum generalem vel nationalem, conventu Ordinum generalium. par enim in omnibus ratio eſt. Id autem quomodo cum reſponſo Vedelii ad propoſitam à ſe quæſtionem conveniat, ipſe viderit. 4. Quod miniſtris hæc dignitas non per ſe, ſed per accidens competat, nimirum reſpectu Chriſti, cujus ſunt legati; ejus dicti ſolutionem ipſe Vedelius affert, nempe & Magiſtratus miniſtros Dei eſſe. Itaque & Magiſtratibus dignitas ſua per accidens competet, nempe reſpectu Dei cujus miniſtri ſunt. Sed hic quoddam diſcrimen Vedel. excogitavit, in eo videlicet, quod Magiſtratus ita miniſtri Dei ſunt, ut dij vocentur, miniſtri minime. at 1. frivolum eſt hoc diſcrimen, quod ad præſentem cauſam attinet; nam quod Dij vocentur, id & ipſum per accidens eſt, nempe reſpectu Dei cujus vice funguntur. Niſi Vedel. velit Magiſtratus *per ſe*, & excluſo vero Deo, *Deos eſſe*, quemadmodum Bellarm. (quod & ante monuimus) dicit papam *per ſe* & exclu-

excluſo Chriſto eſſe *caput Eccleſiæ*. 2. honorem hunc miniſtris eccleſiæ in ſcriptura non tribui, ut Dij vocentur, nimis audacter à Vedelio dicitur. contrarium enim è collatione duorum ſcripturæ locorum facile evincam. eorum prior eſt. Exod. 22. 28. *Deos ne execrator, & Principi in populo tuo ne maledicito.* alter eſt Act. 23. 5. ubi hoc præceptum accommodatur à Paulo ſummo Sacerdoti, qui utique miniſter erat eccleſiæ: *Dixit autem Paulus, Neſciebam, fratres, ſacerdotem eſſe maximum. ſcriptum eſt enim, Principi populi tui non maledices.* Neque audiendi qui legem illam ita in duas partes diſcerpunt, ut poſteriorem partem, de principe populi, ſummo ſacerdoti aptari poſſe putent, priorem de Diis, non item. Nulla enim inter hæc duo eſt differentia, niſi quod Deorum nomen etiam inferioribus judicibus conveniat, multo ergo magis principi populi, qui titulus quum à Paulo ſummo ſacerdoti detur, profecto inter Deos illos eum habuit quibus maledici lex vetabat. Recte ad illam legem AbenEzra:
אלהים אל תקלל' הם חריינים והם הכהנים
בני לוי שעמהם : id eſt: *Deos ne exe- "*
crator: Hi ſunt judices, & hi ſunt ſacer- "
dotes filii Levi qui cum ipſis ſunt. Et ex "
noſtris Fr. Iunius, Deos explicat, Dei "
ipſius agentes vicem, penes quos eſt ad- "
mini-

„ miniſtratio civilis vel eccleſiaſtica, teſte
„ Apoſtolo Act.23.5. nec aliter Piſcator.

Sed & verba Chriſti id nos docere poſſunt. Ioh. 10. 34. de quibus malo Cl. Rivetum quam me audiat Vedelius. Is ergo in Ioh.17. 3. p. 101. ita commen-
„ tatur: Hoc modo dixit Dominus: *Non-*
„ *ne ſcriptum eſt in lege veſtra, Ego dixi*
„ *Dii eſtis? Si illos dixit Deos ad quos ſermo*
„ *Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi ſcriptu-*
„ *ra: Mene, quem Pater ſanctificavit &*
„ *miſit in mundum, vos dicitis blaſphema-*
„ *re, quia dixi, filius Dei ſum?* Argumen-
„ tatur à minori ad minus: Si illi qui ſunt
„ minores in ſcriptura appellantur Dii,
„ num alienum vobis videtur, ſi ego me
„ voco Deum? ego, ut poſtea addit, qui
„ *facio opera Patris mei*? In his autem ver-
„ bis oſtendit, quandoquidem illos ſcri-
„ ptura Deos appellat, oportere eos Deos
„ eſſe, quia non poſſit ſolvi ſcriptura: &
„ quidem Deos eſſe oportere abſque fal-
„ ſitate, nec tamen Deos veros proprie
„ dictos, ſed tantum quatenus *ſermo Dei*
„ *ad eos factos eſt.* hoc eſt, quatenus ac-
„ ceperunt à Deo certas vocationes ad
„ quas eos appellavit, ad præſidendum in
„ hoc mundo hominibus, eos ducendos
„ ac gubernandos ſub auctoritate unius
„ ſupremi Dei. Tales ſunt angeli in cœlo,
„ qui vocantur *dominationes, principatus*
„ *& poteſtates.* Tales ſunt in terra reges,
prin-

Digitized by Google

principes & Magiſtratus, qui ſunt *Paſtores populorum*. Tales ſunt (attende Vedeli) etiam in ſuo ordine ii qui nomine *Chriſti legatione funguntur*, quibus *datum eſt miniſterium reconciliationis*. & qui ſunt *diſpenſatores miniſteriorum ejus*. Verum de Omnibvs hisce diis nihilominus verus Deus ita loquitur; *Ego dico, dii quidem eſtis, & filii Excelſi vos omnes: at certe ut plebejus homo morituri eſtis, etiam ſicut unus aliorum principum caſuri eſtis, &c.* hactenus Riveti verba, è gallico utcunque à nobis, converſa. Et hæc etiam ad ultimam quæſtionem ſufficiant.

Ad Concluſionem.

IN concluſione ſua profitetur Vedelius ſe doctrinam hanc ſuam à calumniis pontificiorum vindicaturum. quomodo hoc præſtet videbimus. Primo repetit, ſe doctrinam verbi Dei, eccleſiarum reformatarum, doctorum & paſtorum eccleſiæ, quam ſemper ante & poſt Synodum Dordracenam profeſſi ſunt, tradidiſſe. Quod quam falſum ſit è noſtra hac refutatione cuivis perſpicuum eſt. Negat ulli eo nomine litem motam, quod tam inverecundè dicitur, ut nihil ſupra. omnes enim noſtræ regiones ea

lite

lite pene conflagrarunt, & ex parte ad
,, huc flagrant. Contrariam doctrinam di-
,, cit eſſe novam, & pontificiam. At nos
eam veterem & orthodoxam eſſe, è Ve-
delii vero doctrina pontificatum, id eſt
poteſtatem utriuſque gladii ſçqui, ac
præter politicum, etiam novi generis
academicum Antichriſtum per eam
,, conſtitui, demonſtravimus. Et frontem
,, plane perfricuerit oportet (ut mellita il-
,, lius phraſi utamur) qui hoc audet nega-
,, re. Accedit deinde ad refutationem ca-
lumniarum, quibus (ut ait) Bellarmi-
nus & alii pontificii doctrinam hanc
denigrare conantur. Prima eſt pontifi-
ciorum Anglorum, qui Lutherum, Me-
lanchthonem, Calvinum in ſuas partes
pertrahere conantur. hos à Paræo in
Rom.13. & Riveto p.259. 260. poſt Rai-
noldum theologum Anglum refutatos
eſſe dicit. age ergo, hoc inveſtigemus.

,, Controverſia Anglica erat, de eo quod
,, reges Angliæ poſt rejectum papatum
,, (agnoſce verba Riveti p.259.) tempore
,, Henrici 8. ſibi attribuerunt titulum
,, CAPITIS ECCLESIÆ. Hinc, non
,, ſolum pontificii (addit Rivetus) ſed
,, etiam initio quidam *orthodoxi* (non igi-
,, tur per calumniam hoc eis attribuitur,
,, ut Vedelius vult) exiſtimarunt auctori-
,, tatem illam quam papa ſibi uſurpat in
,, eccleſias, ipſi ereptam, ſibi reges illos
vindi-

vindicare: unde factum eſt ut acriter in- “
vecti fuerint in talem uſurpationem, eo “
ſenſu intellectam quo (lege quem) pri- “
mum verba præ ſe ferre videbantur (ad- “
do: quem ipſa facta oſtendebant, ut pa- “
tet in ſequentibus.) Magdeburgenſes in “
præfat. 7. Centuriæ, graviter conque- “
runtur, quod pro uno pontifice. (atten- “
de Vedeli) innumeri ex politicis, emi- “
nentia locorum atque munerum ſufful- “
tis & elatis, exiliebant, qui vicem alter- “
nantes, nunc à forenſibus rebus in ec- “
cleſiaſticas tranſcendebant, &, non con- “
tenti, ſuis metis, religionum formulas “
eccleſiis, cum ſceptro, gladiis, & ful- “
mine Jovis exhibebant. Addunt: Sint “
ſane & ipſi Magiſtratus membra, & par- “
tes, & cives Eccleſiæ Dei: imo, ut ex “
toto corde ſint, omnes precari decet: “
flagrent ipſi quoque zelo pietatis, ſed “
Non Sint Capita Ecclesiæ: quia “
non ipſis competit Iste Primatus. “
Calvinus etiam in Proph. Amos cap. 7. “
verſ. 12. inconſideratos fuiſſe homines “
contendit eos, qui tantopere extulerunt “
Regẽ Angliæ, qui dederunt ei ſummam “
omnium rerum poteſtatem, teſtaturque “
id animum ſuum ſemper graviter vulne- “
raſſe: etiam Blasphemos fuiſſe di- “
cere non veretur, cum vocarent ipſum “
Summum Caput Ecclesiæ Sub Chri- “
sto. Hoc quomodo intellexerint oſten- “

dit

„ dit ex Gardineri Epiſcopi Vintonienſis
„ placitis, in conventu Ratisbonenſi, qui
„ dicebat fuiſſe in arbitrio regis ſtatuta
„ abrogare, & ritus novos inſtituere. li-
„ cuiſſe regi ſacerdotes arcere à conjugio,
„ liceɹe etiam regi interdicere populo u-
„ ſum calicis in cœna, &c. Qui enim pa-
„ patus doctrinam adhuc fovebat, ut po-
„ ſtea apparuit, NOVUM PAPATVM
„ IN PERSONA REGIS erigebat. Quæro ex Vedelio, an iſta probet, an non? ſi probet, antichriſtianiſmi ſe & blaſphemiæ (judicibus Magdebb. & Calvino) alligat. ſi non probet, cur putat injuriam Calvino fieri, ſi, una cum pontificiis hæc dicatur reprehendiſſe? Attende jam, quid Rivetus addat:
„ Aliter ſenſerunt poſtea pii doctores in Anglia, qui,
„ etſi delatum ſupremi ſub Chriſto capitis
„ in eccleſia nomen Regi ſuo conceſſe-
„ rint, prorſus tamen alio modo interpre-
„ tati ſunt; nec limites illos voluerunt tran-
„ ſcendere, quos Deus olim in ſuo popu-
„ lo, piis regibus præfixit. Qua de re cum
„ Hartus litem intenderet Doctori Rai-
„ noldo, ita de Magdebb. & Calvino reſ-
„ pondebat: Quod illi reprehenderunt id
„ nos principi non deferimus, quod nos
„ deferimus principibus, id illi non re-
„ prehendunt, &c. E quibus apparet, non fieri injuriam Calvino aliiſque orthodoxis, cum dicuntur idem in hoc ſupre-

matu

matu Anglicano reprehendiſſe quod pontificii. quod enim *poſtea aliter ſenſerunt* doctores pii in Anglia, id indicio eſt, & ipſis eam rem diſplicuiſſe, id vero futurum nec Calvinus divinare potuit, nec quicquam ad eum pertinet. Quanquam neque illi omnino culpa vacant, ſi, quod ait Rivetus, delatum ſupremi ſub Chriſto capitis in eccleſia *nomen* regi ſuo conceſſerint. nam Calvinus blaſphemos fuiſſe dicere non veretur, eos qui *vocabant* ipſum ſummum caput eccleſiæ ſub Chriſto. hoc eſt, ipſam illam *appellationem* in rege deteſtatus eſt, non minus quam Pontificii. Mentem ergo piorum illorum theologorum amplectamur, ſermonem, ſi ita locuti ſunt, non imitemur: multo minus ex eo dogmata ipſorum menti adverſa cudamus. dico, ſi ita locuti ſunt, nam Iuellus epiſcopus Sariſbur. Reſp. ad Hardingum part. ult. pag. 497. De ſupremi, inquit, „ eccleſiæ capitis titulo, ſacras litteras qui- „ bus excuſari poſſet, conquirere, nihil „ eſt neceſſe. Primum enim, *non excogi-* „ *tavimus*: deinde, *non utimur*: poſtre- „ mo, *principes* noſtri jam *non vindicant*. „ Scripſit iſta Iuellus 6. Kal. Nov. 1567. Sed nec defuiſſe poſtea, nec deeſſe in illo regno qui idem ſaxum volvant docet experientia. Nam Doctor Bancroftus, „ qui tandem evectus eſt ad Archiepiſco- „

patum Cantuarienſem, in concione habita ad crucem Pauli anno 1589, & poſtea excuſa, p. 70. adſcribit regiæ Majeſtati non modo partem poteſtatis papæ, ſed omnes honores, dignitates, præeminentias, juriſdictiones, privilegia & emolumenta, quæ antea papæ debita cenſebantur: & Reginam minorem *Papiſſam* eſſe aſſerit. pag. 68. Ioannes Spottiſvodius Archiepiſcopus Andreapolitanus, laturus ſententiam depoſitionis in quendam miniſtrum, quod celebraſſet cœnam dominicam abſque geniculatione in percipienda euchariſtia, idem aſſeruit: Dico tibi N. Regem nunc *Papam* eſſe, atque etiam fore. vid. Altare Damaſc. c. 1. de primatu Regio. Quod ad Lutherum & Melanchthonem attinet, ne longior ſim, nego recte eorum dicta à Paræo vindicata eſſe; ſumit enim id quod probandum erat, nempe, fateri illos Magiſtratui competere poteſtatem architectonicam circa eccleſiaſtica, quod illi nuſquam dicunt, neque jus indicendi ſynodum oecumenicam & eam πολιτικῶς gubernandi hoc evincit, ut è precedentibus manifeſtum eſt.

Secundum genus calumniarum, ait Vedel. conſiſtere in effectis & adjunctis pernicioſis ſcilicet quæ huic doctrinæ aſſcribuntur. eorum

Primum eſt: quod confunditur ea ratione

ſtione poteſtas Magiſtratus cum miniſterio eccleſiaſtico. hoc ita tollit Vedel. Quod, ſecundum hanc doctrinam, etſi in quibuſdam conveniant circa res eccleſiæ & fidei, tamen octodecim modis circa eaſdem differunt. quos tamen modos, brevitati conſulens, non commemoret. Reſp. hinc non ſequi, non confundi hæc munera per doctrinam Vedelianam. quæ enim octodecim modis diſtinguuntur, novemdecim modis confundi poſſunt. certe omnibus illis modis confunduntur quos attulit Vedelius & nos refutavimus.

Secundum eſt: Contentiones & diſſidia per hanc doctrinam quæri inter Magiſtratrs & Paſtores. hoc Vedel. negat, & multis verbis, unicuique jus ſuum integrum eſſe oportere, ac unumquemque ſe intra limites vocationis continere debere ocioſe declamat. tandem, non ſuam, ſed contrariam ſententiam eſſe matricem diſcordiæ ait. quod quale ſit experientia loquatur. certe nec diſſidia inter Magiſtratum & eccleſiam illius urbis in qua primo profeſſus eſt invenit Vedel. in qua tamen ordinem eccleſiaſticum ſuis opinionibus contrarium & à miniſtris ſtudioſe conſervatnm, & à Magiſtratu defenſum novit, neque ſuâ doctrinâ vel ibi vel Franequeræ evulgatâ pacem, ſed periculoſos motus attulit.

Miſereatur Deus eccleſiæ ſuæ, foris & intus afflictæ!

Tertium eſt, quod doctrina Vedeliana adulatoria ſit, & per eam eccleſiaſtici fiant mancipia regum. Ad hoc cum Vedel. nil niſi verba, ſæpius refutata, reponat, ſuggeram ei teſtimonium Sibrandi Lubberti contra Grotium pag. 116. ubi ait: Verum hic variæ moventur quæſtiones. Quidam enim omnis ſuperioritatis impatientes, non volunt ipſis Magiſtratibus tribuere quod ipſorum eſt, alii ſeſe in *pluſquam ſervilem adulationem* projicientes, quidlibet etiam quod ipſorum non eſt illis attribuunt; non quod tantopere cupiant Magiſtratui, ſed quia ſunt ambitioſi, & regnandi cupidi, ſperant hoc prætextu aut occaſione magnam dominationis partem in ſe derivatum iri. Accidit etiam ut inquieti & turbulenti homines, cum vident ſe non poſſe in eccleſia pro libitu dominari, moveant rixas de jure & poteſtate Magiſtratuum, ut horum iram in illos, qui Magiſtratibus quod ad illos non pertinet tribuere recuſant, commoveant, atque impetu potentiaque Magiſtratuum obtineant quod jure & legibus in verbo Dei expreſſis obtinere non poſſunt. Hæc Sibrandus quæ quam manifeſte ſcopum Vedelii attingant, vel ex unica collatione quam Vedel. inter Ma-

giſtrates & Profeſſores inſtituit, contemplari licet, taceo ejus κελεύσματα quibus Magiſtratum etiam in hoc paragrapho & paſſim in capita fidelium Chriſti ſervorum concitare nititur. Pergendum enim eſt ad utilitates quas Vedelius doctrinæ ſuæ aſſcribit.

Earum prima eſt, conſervatio veræ " religionis & puritatis illius. Si enim, in- " quit, ſolis perſonis eccleſiaſticis *cura re-* " *ligionis & gubernatio eccleſiæ* relinqua- " tur, *æque*, imo forte *magis* periclitatur " puritas ac veritas religionis ac ſalus ec- " cleſiæ, quam ſi *ſoli Magiſtratui* relin- " queretur, quemadmodum ex ſcriptura, " & experientia papatus conſtat. R. 1. Si " *magis* periclitatur eccleſia cum ſoli eccleſiaſtici eam curant, quam cum ſoli Magiſtratus, ſequitur, eccleſiam & religionem *minus* periclitari cum eam ſoli Magiſtratus curant, quam cum ſoli eccleſiaſtici. ſi minus periclitatur, ſaltem eo modo conſiſtere poteſt: & ſic tollitur neceſſitas miniſterii. nam, ſi eccleſia poteſt conſiſtere ſolis politicis eam curantibus, jam nec prædicatione verbi divini, nec ſacramentorum adminiſtratione, nec diſciplinæ exercitio in eccleſia opus eſt. ea enim politicis obire non conceditur. 2. quod è ſcriptura id conſtare ait, vehementer errat. imo contrarium ex ea conſtat. nam tempore

Apoſtolorum (imo & aliquot poſt ſeculis) eccleſiæ ſalus ac puritas religionis fuit conſervata *ſolis eccleſiaſticis eam curantibus & gubernantibus*. doceat nos viciſſim Vedelius, quando eccleſia & religio fuerit conſervata, *ſolis Magiſtratibus eam curantibus*. hoc in æternum non poterit. 3. quod experientia papatus hoc conſtare ait, id & ipſum frivolum eſt. nam 1. falſum eſt in papatu ſolos eccleſiaſticos religionem & eccleſiam curare. cum ad ejus defenſionem, quæ cura objectiva eſt, Magiſtratus etiam juramento aſtringatur. 2. de eccleſiaſticis *orthodoxis* loquimur, cum dicimus, poſſe eccleſiam ab illis ſolis gubernari & curari, non de heterodoxis, quales ſunt in Papatu. quemadmodum Vedelius de *orthodoxis* Magiſtratibus loquitur, cum idem de eis aſſerit. nam puritatem religionis committere hominibus in religione impuris, ſive eccleſiaſticis ſive politicis, æque ridiculum eſſet. 4. eccleſiam melius gubernari ab iis, & quidem ſolis, qui curis civilibus ſunt immerſi, quam ab iis qui ſolis rebus eccleſiaſticis vacant, tam ἄλογον eſt, ut nihil ἀλογώτερον excogitari poſſit. itaque transeo ad utilitatem ſecundam.

" Ea eſt, ne papalis faſtus ac tyrannis,
" & conſequenter idololatria pontificia
" rurſus introducatur. Cœpit enim reve-

lari

lari antichriſtus per faſtum ac ſuper- "
biam ſub Bonifacio tertio, poſtea pau- "
latim ſecuta eſt idololatria &c. quare "
experientia nos ſapientes reddere de- "
bet, atque efficere, ne per eandem viam "
ad eandem metam ſatanam graſſari pa- "
tiamur. Reſp. à faſtu talium Profeſſo- "
rum qualis Vedel. eſt, hic multo maius periculum eſt, qui ſceptris, carceribus, proſcriptionibus armati, ſimul miniſtri eccleſiæ audire volunt, quàm à miniſtris eccleſiæ veris, qui ab his omnibus ac toto typho ſeculi, prout debent abſtinent. certe hæc talia Iudæos ex parte in ſua cœcitate confirmant. quia enim in urbe Bagdad præfectus ſcholæ eorum creatur à Calipha, & curru ſecundario domum deducitur, hinc eum regnum ibi obtinere fingunt, & ſic vaticinium Gen. 49. 10. de ablato ab ipſis ſceptro eludunt. è privilegiis quibuſdam quæ ſcholarum rectoribus conceſſa fuere, ſcholas & conſeſſus ſuos in regia tribunalia mutantes. v. Itinerar. Beniam. Tudel. p. 70. 101. & notata ad illud à Cl. Conſt. l'Empereur Diſſert. ad Lectorem, & Not. p. 200. nec profecto alienum eſt à corruptione ingenij humani, etiam inter nos inveniri, qui ejuſmodi honoribus inflati regios ſpiritus ſibi ſumant, atque adeo tyrannidem quandam in eccleſiam his omni-

bus deſtitutam affectent. 2. Antichriſtus (ut Vedelij rationem excutiamus) cœpit revelari, cum Bonifacius politicam poteſtatem ſibi vindicaret. hoc non faciunt orthodoxi Paſtores, cum pro poteſtate *eccleſiaſtica* & quidem ſola dimicant. itaque non inſiſtunt eandem cum Bonifacio viam, nec metuendum proinde ne ad eandem metam perveniant. ſimilior eſt via quam Magiſtratui ad hanc metam munit Vedel. ut enim eccleſiaſticus Antichriſtus revelari cœpit cum Bonifacius politicam poteſtatem arriperet, ita politicus Antichriſtus neceſſario ei ſubſtituitur, quando Magiſtratus involat in poteſtatem eccleſiaſticam, & utrumque gladium, non minus quam papa, ſibi vindicat.

„ Tertia eſt, conſervatio pacis in repub. „ & eccleſia. Nam doctrinam contrariam „ eſſe verum flabellum ſeditionum, docet „ experientia papatus. Reſp. Si per doctrinam contrariam intelligat pontificiam, concedimus: ſi noſtram, negamus. ſed audiamus ipſum. „ Et ratio, inquit, „ eſt evidens. poſita enim illa do- „ ctrina pontificia (qualiſnam ea ſit mox „ videbimus) paſtores tuto populo per- „ ſuadere poſſunt ſub prætextu religionis „ quicquid volunt. Magiſtratus autem ne „ hiſcere quidem audet, quin ſtatim au- „ dit, ad ſe non pertinere res eccleſiaſti-

cas,

cas, eum defenſorem eſſe tantum & „
executorem eccleſiæ, contra hoc offi- „
cium ſuum agere ipſum, dum non aſſen- „
titur iis quæ a Paſtoribus dicta ſunt ad „
populum, eſſe hoſtem eccleſiæ, excom- „
municationem incurrere, adeoque pri- „
vationem juriſdictionis & dignitatum „
ſuarum, &c. Reſp. Hic, quemadmodum „
multa inter ſe jura confundit coquus, ita bona malis permiſcet, ut nos cum pontificiis in unam ſui furoris ollam conjiciat. itaque quid ex iis probemus, quid improbemus, diſcernendum eſt. probamus, Magiſtratum *eccleſiæ defenſorem* eſſe, non Dominum. item, poſſe eum fieri *hoſtem eccleſiæ* & *excommunicationem incurrere* dicimus. at negamus hanc doctrinam eſſe flabellum ſeditionum, licet ejus cauſa ſeditiones ab hominibus refractariis excitentur, niſi ipſum Chriſtum & S. Scripturam flabellum ſeditionum eſſe vis. verum, *Ad Magiſtratum non pertinere res eccleſiaſticas*, item, *eum per excommunicationem incurrere privationem juriſdictionis & dignitatum ſuarum*, id toto pectore deteſtamur. nec ullo modo ex noſtra doctrina ſequitur.

Quarta, quæ eodem recidit, eſt: Ad „
tuendam vitam, dignitatem, bona Ma- „
giſtratus Chriſtiani, imo cujuſcunque „
Chriſtiani, ut præcipue patet ex con- „

 nexione

„ nexione inter dominium ſpirituale &
„ temporale, quemadmodum Bellarm.
„ non inepte profecto &c. hoc ex illo in-
„ fert. Reſp. quam valida ſit connexio
Bellarminiana inter dominium ſpirituale & temporale, quam hic Vedelius non ineptam eſſe jurat, viderit Vedelius. certe ad nos nihil pertinet, qui *dominium* ſpirituale Paſtoribus non tribuimus, ſed eam rerum ſpiritualium adminiſtrationem, & eam poteſtatem quæ à Dominio quam longiſſime remota eſt. nec ullam cum ea connexionem habet dominium temporale in vitam, dignitates ac fortunas auditorum, nominatim ipſorum Magiſtratuum. ut notum eſt. ſequitur

„ Quinta: ut Magiſtratus Chriſtiani,
„ intelligentes poteſtatem ſuam in rebus
„ eccleſiaſticis, adeoque officium ſuum,
„ eo magis extimulentur, ad procuran-
„ dum bonum religionis atque Eccleſiæ,
„ ad extendendum regnum Chriſti; quan-
„ doquidem vident ad ſe etiam pertinere
„ curam religionis & Eccleſiæ, iis modis
„ qui à nobis ſunt expoſiti. Reſp. imo, qui
à nobis ſunt expoſiti. nam modi à te allati ad oppreſſionem Eccleſiæ, non ad ejus bonum ſpectant.

„ Sexta: Ut Doctores & paſtores Ec-
„ cleſiæ &c. melius officium faciant ſcien-
„ tes ſe Magiſtratum habere inſpectorem,

ceuſo-

cenſorem, ac judicem, tam doctrinæ quam vitæ ſuæ, Reſp. 1. nego hoc ex tua doctrina ſequi, quantum ad *Doctores*, quos à paſtoribus diſtinguis, nam nullum verbum de jure Magiſtratus in *Doctores* feciſti. 2. Magiſtratus eſſe judices &c. vitæ paſtorum, ſi illi politicum aliquod crimen commiſerint, non abnuimus, at eſſe judices doctrinæ ipſorum, eo quem Vedel. intelligit modo, id ante refutavimus. ex falſa autem hypotheſi non poteſt ſequi vera concluſio.

Septima: quia per doctrinam Vedelianam piis obſequiis Magiſtratus demeremur, contraria autem iritantur &c. Reſp. Nimirum hoc eſt ſub ſpecioſis verbis innuere, doctrinam Vedelii eſſe ὀψοποιητικὴν, κολακικὴν, &c. quod quidam de arte oratoria dixit. & fatemur eam medium eſſe favoris aucupandi, & rem faciendi. ſed *pia* eſſe illa obſequia, & *ſecundum Deum*, per quæ Vedel. Magiſtratum demereri, & Eccleſiam opprimere conatur, prorſus negamus. Novimus, obſequium amicos, veritatem odium parere. ſed ſervis Dei non tam curandum eſt, quomodo hominibus, quam quomodo Deo miniſterium ſuum probetur. v. Gal. 1. 10. & infinita alia ſcripturæ dicta. quæ porro de poteſtate architectonica &c. nugatur, dudum excuſſa ſunt.

„ Octava; ut ſtudioſi theologiæ matu-
„ re edoceantur, quouſque ſe limites pote-
„ ſtatis ſuæ extendant, ne involent in offi-
„ cium Magiſtratus, aut eum impediant
„ quando circa res Eccleſiaſticas hoc vel
„ illud ex officio facere aut fieri vult &c.
Reſp. hoc eſt, ut è gymnaſiis & Academiis tales pulli excludantur, qui Eccleſiæ matris ſuæ, poſtquam miniſterio admoti fuerint, libertati ac vitæ inſidientur. hæc enim ſub horum verborum involucro latere è præcedentibus cuivis patet cavebit ſibi Eccleſia cum bono Deo ab ejuſmodi pullis.

„ Nona: Ad vindicandas Eccleſias no-
„ ſtras à calumniis adverſariorum. Re-
„ monſtrantes enim hinc inde in ſcriptis
„ ſuis, præcipue autem in apologia, acer-
„ biſſime inſectantur, quaſi duas collate-
„ rales ſummas & architectonicas pote-
„ ſtates ſtatuant: Magiſtratum ſcilicet ex
„ una, miniſtros ex altera parte, quorum
„ ille tantum in rebus ſeculi, hi autem in
„ rebus eccleſiaſticis gubernationem ha-
„ beant; qua ratione Magiſtratus à nobis
„ mancipia, lictores, & carnifices (prout
„ in papatu fit) Eccleſiaſticorum conſtitui
„ dicunt. Ap. c. 25. f. 293. 294. Reſp. Hic
videmus, 1. Unde calumniam hanc, ut ipſe recte vocat, acerbiſſimam, qua toties Eccleſias noſtras oneravit, hauſerit Vedelius, nempe ex adverſariorum, id

eſt

eſt Remonſtrantium ſcriptis. deinde, mirus eſt iſte mos liberandi Eccleſiam ab adverſariorum calumniis, cum ipſe, qui hoc ſe facere fingit, eaſdem calumnias totidem verbis in Eccleſiam effundit. 3. Et Remonſtrantium, & Vedelii conſequentia in hac parte nulla eſt. nam ex duabus poteſtatibus collateralibus non ſequitur alteram alterius mancipium &c. eſſe, ſed magis è duabus ſubordinatis, quales illi ponunt. ut conſideranti perſpicuum eſt. 4. Perperam huc exemplum papatus allegatur. neque enim in papatu collateralitas utriuſque regiminis, ſed ſubordinatio regiminis politici ſub eccleſiaſtico docetur. 5. Si dicant ſubordinari & a nobis Magiſtratus paſtoribus in rebus eccleſiaſticis, & hac ratione fieri eorum mancipia, carnifices &c. retorquebo hoc in ipſos. nam ipſi Paſtores ſubordinant Magiſtratui, unde, ſecundum eorum colligendi modum, ſequetur, Paſtores eſſe Magiſtratuum carnifices &c. quod æque abſurdum eſt ac illud alterum. imo hinc ſequetur, vel omnes ſubditos eſſe carnifices, omnes enim ſubordinantur Magiſtratui, vel neminem niſi carnificem Magiſtratui ſubordinari. Hæc à Vedelio oſtendenda erant, non tam turpiter adverſariis cauſa tradenda. pergit: Speciatim au- "
tem eo nomine acerbe inſectantur Ec- "

cleſiam

„ cleſiam Genevenſem, ubi Magiſtratus
„ omnia, velit nolit, ex miniſtrorum ſen-
„ tentia gerat &c. & hanc calumniam
„ eſſe, tum ex hac diſputatione patere ait,
„ tum ſuo, qui ibi diu docuerit, teſtimo-
„ nio. poſterius hoc Remonſtrantes faci-
le rejicient, neque enim idem adverſa-
rius & teſtis eſſe poteſt. prius etiam nos
rejicimus. neque enim ex hac diſputa-
tione Vedelii ſtatui poteſt de eo quod
Genevæ fiat, cum non Genevenſem
doctrinam, ſed ei adverſam paſſim illa
tradat. verum ſequentes Vedelii ratio-
„ nes obſervatione dignæ ſunt: Etſi enim,
„ inquit, ſtatus ibi popularis ſit, & qui-
„ dem adeo, ut jus pacem & bellum de-
„ cernendi, item conſules quotannis eli-
„ gendi penes populum ſit (hoc quid ad
rem faciat non video, niſi velit dicere,
Magiſtratus electionem, item jus pa-
cem & bellum decernendi ibi penes pa-
ſtores quoque eſſe, ut membra populi.
hic neceſſario ejus ſenſus eſt, alioqui
enim vocula adverſativa ETSI nullam
oppoſitionem habebit cum ſequenti-
bus. quanquam autem injuriam hac in
parte miniſtris Genevenſibus à Vedelio
fieri puto, tamen cordis ejus arcanum
hic patet; nempe, ubi ipſe miniſterio
fungitur, non abſurdum eſſe ut miniſtri
de electione Magiſtratus, pace item ac
bello ſtatuant, alibi miniſtros intra can-

cellos

cellos muneris eccleſiaſtici cohibendos. notent hoc Magiſtratus ſub quibus Vedelius agit. addit:) Etſi quoque Paſtores ibi ob ſingularem eruditionem & pietatem, quæ in illis inde ab initio reformationis ad hæc uſque tempora effulſit, in magna auctoritate ſint (inter eos fuit ipſe Vedelius, itaque laudes haſce ſibi ipſe canit) tamen tantum abeſt, ut Magiſtratus ibi mancipium miniſtrorum ſit, &c. ut è contrario, ſi miniſter aliquid dicat aut faciat quod ipſius Magiſtratus auctoritati contrarium eſſe videatur, à Magiſtratu extraordinaria via, ſine ulla communicatione cum conſiſtorio coërceatur, & vel arreſto publico detineatur, vel ab officio ſuſpendatur: cujus rei ego varia exempla recentiora novi. Reſp. 1. Magnam partem laudis, miniſtris Genevatibus attributæ Vedel. hic eis detrahit, dum eos ita ſe gerere innuit, ut à Magiſtratu coërceri opus habeant. imo id ita frequens eſſe, ut ipſe varia ejus rei exempla, & quidem recentiora, ſe noviſſe affirmet. 2. mentem ſuam vivis coloribus exprimit. nempe, ut duplicem Magiſtratui poteſtatem aſſcripſit in vocatione miniſtrorum, ordinariam, quæ una cum ſynedrio fiat, extraordinariam, quæ ſola ipſius poteſtate; & extraordinaria hac utendi Magiſtratui licentiam dedit, etiam

ubi

ubi nulla neceſſitas eſt, ut vidimus ad Quæſt. 4. ita evidenter utramque illam poteſtatem Magiſtratui concedit etiam in ſuſpenſione miniſtrorum. ordinariam quidem *per preſbyterium*, ut docuit Quæſt. 6. extraordinariam, *ne conſulto quidem conſiſtorio*, ut hic docet. & hoc licere vult, non in caſu neceſſitatis, ubi eccleſiaſtica judicia corrupta ſunt, ſed in eccleſia Genevenſi, ubi ea ſunt optime conſtituta. eat nunc & neget ſe eadem cum Utembogardo ſentire. profecto, ſi arbitrarium eſt Magiſtratui, vel cum aliis vel ſe ſolo hæc facere, non eſt expectandum ut preſbyterium in hujus poteſtatis partem vocet. fruſtra enim fit per plura quod fieri poteſt per pauciora. &, in negocio præſertim juriſdictionis, nemo libenter eſt alterius qui ſuus eſſe poteſt. Hæc eſt illa poteſtas quam ſibi attribuebant in Ordine illo Eccleſiaſtico penitus Utembogardiano Ultrajectini, Anno 1590. art. 24. verba eorum ſunt:
» Item, ſi Ordinibus aut Magiſtratibus
» videretur (ob rationes aliquas aut con-
» ſiderationes quas habere poſſent) neceſ-
» ſarium, miniſtros aliquos aut alios ec-
» cleſiæ inſervientes dimittere aut permu-
» tare, licebit hoc ipſis, & eos quidem
» quos ipſis videbitur deſtituere, alios ve-
» ro in eorum locum vocare modo ſupra-
» ſcripto, ita ut nemo alius hac in re ha-

beat

beat quod dicat, neque dicti Ordines "
autMagiſtratus teneantur cuiquam ejuſ- "
modi depoſitionis rationem reddere. "
pergamus in Vedelio.

Et tunc, inquit, nos non tyrannidis "
accuſabamus Magiſtratum; ſed confu- "
giebamus ad arma noſtra, hoc eſt, pre- "
ces, &c. Reſp. quid tum feceris neſcio, imo hæc ita geſta eſſe nondum mihi fidem feciſti. at hic certe magnæ tyrannidis & confuſionis Ampliſſ. illum ordinē reum agis, qui, proculcato & inſuper habito conſiſtorio, pro libidine in miniſtros ſæviat, non tantum pœnis politicis ſed & eccleſiaſticis. tu Vedeli, & in eccleſiaſtas Genevenſes, & in ipſum Senatū injurius pariter & ingratus es, qui tam abnormia de eis divulgare audes. addis:

Idem Magiſtratus pro arbitrio aut "
auget aut imminuit numerum miniſtro- "
rum & ſalaria eorum. Reſp. Et hæc non "
minor calumnia (ita mihi de honeſtiſſimo illo Senatu perſuadeo) in Magiſtratum Genevenſem eſt, cui tantam injuſtitiam aſſcribis, ut *arbitrium* ſuum pro lege habeat, & quod miniſtris verbi pro ſuo miniſterio debetur ex lege Dei, eo ipſos pro libitu defraudet. Hoc eſt unum è peccatis in cœlum clamantibus Iac. 5. 4. confer Matth. 10. 10. 1. Cor. 9. 7. &c. Porro, miniſtrorum numerum augendi vel minuendi, non arbitrium Magiſtratus,

giſtratus, ſed neceſſitas eccleſiæ norma eſſe debet. Pergis:

» Exigit etiam ab unoquoque miniſtro » juramentum fidelitatis, quo ille promittit & jurat ſe in officio religioſe ac bene » verſaturum, & Magiſtratui fidelem fore. » prout illud etiam ego in eadem cauſa » præſtiti. Nec quiſquam noſtrûm illud » juramentum unquam recuſavit, & ſinguli eo melius ſibi cavebant, ut ne præter commune delictum etiam perjurii » notam ac pœnam incurrerent. R. Non mecum ſed cum Cl. Walæo hic res erit » Vedelio. is ita ait pag. 45. Omnia munera quæ directe ſupremis Magiſtratibus ſubordinantur ita ab iis dependent, » ut mandatis ab ipſis inſtruantur, & iis » IN HAC ADMINISTRATIONE » FIDELITATIS AC OBEDIENTIÆ » IVRAMENTVM PRÆSTENT. Verum miniſtri quantum ad muneris ſui » adminiſtrationem, à ſolo Chriſto mandatis inſtruuntur, & in vocatione ſua » *obedientia verbi divini tantummodo alligantur*, &c. unde manifeſte videmus, » hic ejuſmodi ſubjectionem qualis in » prædictis officiis eſt, nec poni nec excogitari poſſe. hæc Walæus. in quibus juramenti præſtationem propriam facit iis muneribus quæ directe Magiſtratui ſubordinantur, à miniſterio autem Euangelii, quod obedientiæ tantum verbi di-

vini eſt alligatum, eam removet. refutet argumentum Walæi Vedelius, & Utembogardo gratificabitur, adverſus quem hæc Walæi ratio ſecunda fuit. Vide autem quo tendant verba Vedelii: Omnia miniſtrorũ in functione ſua vel minima peccata quæ communia delicta vocat, per hoc juramentũ ex eccleſiaſticis politica facere conatur, nec modo politica, verum etiam criminalia, nec levia ex iis cudere crimina, ſed perjuria. itaque, cum in multis omnes labamur, quotidie miniſter Euangelii ad curiam trahi & perjurii reus agi poterit. De Genevenſibus reſpondeo, ut in aliena republica πολυπραγμονεῖν non eſt noſtrum, ita nec unius urbis exemplum aliis ſequendi neceſſitatem imponere. Hoc addo: juramentum illud Genevenſe ita temperatum ac teſtrictum eſſe, ne facile ad ſubjectionem in rebus eccleſiaſticis trahi poſſit. Articulo enim XVI. ubi jurat miniſter ſe Magiſtratui obedientem fore, addit:
" in quantum miniſterium meum ferre
" poteſt. id eſt, citra præjudicium ejus quę
" nobis debetur libertatis, docendi ſe-
" cundum id quod Deus nobis præcepit,
" & faciendi ea quæ ſunt noſtri officii. At-
" que ita (inquit) promitto eo pacto me
" Senatui Populoque obſequuturum, ne
" per hoc ullo modo impediar quo minus
" Deo id obſequii præſtem quod illi in vo-
catione

„ catione mea debeo. De nobis ut dicam, hoc certum eſt, in nullo Ordine eccleſiaſtico noſtrarum provinciarum juramenti à miniſtris præſtandi mentionem eſſe, præterquam in formula Hagienſi Anno 1591. à miſcello conventu, ut vidimus, delineata, & à ſolis Arminianis recepta. art. 4.5.6.7.8. item in Ordine plane Utenbogardiano Ultrajecti à ſolis politicis conſtituto Anno 1590. art. 25. pergit:
„ Quod quidem ideo narro tantum, ut
„ manifeſtum fiat, injuriam fieri eccleſiæ
„ Genevenſi ab adverſariis, non autem
„ ut conſuetudinem aut ordinem particu-
„ larem ullius eccleſiæ oppugnem, aut
„ impedire velim, vel in hac parte vel in a-
„ liis rebus quas hactenus expoſuimus,
„ quominus Magiſtratus de jure ſuo ſi vult
„ remittat, qua in parte quid expediat, ip-
„ ſius eſt prudenter diſpicere. Reſp. Eccleſiæ Genevenſi injuriam fieri ab adverſariis facile credo, & eidem, ac præterea Ampliſſ. ejus urbis ſenatui abs te inſignem injuriam factam oſtendi. quod negas te conſuetudinem aut ordinem *particularem ullius eccleſiæ* oppugnare, fruſtra es. vidimus enim te ordinem *communem omnium eccleſiarum reformatarum* oppugnaſſe, errores autem tuos titulo juris divini inſigniviſſe. qua ergo conſcientia, ut eccleſiæ contrarium faciant permittis? aut Magiſtratui de jure ſuo

Digitized by Google

re ſuo (quod *divinum* eſſe vis) *ſi vult* remittendi poteſtatem facis? quid ei per te adhuc deeſt quominus ſit papa? is enim nihil majus ſibi tribuit (ſupparaſitantibus Canoniſtis, Theologis autem pleriſque reclamantibus) quam *jus divinum* pro libitu figere ac refigere. quod ſi hic confugias ad jus permiſſivum, de quo quantum quis velit remittere liceat, eodem modo jus paſtorum in rebus eccleſiaſticis, in quibus tua opinione cum magiſtratu concurrunt, permiſſivum facis, itaque & ipſi de eo remittere, ſi volunt, poſſunt, imo id totum alteri, puta Magiſtratui tradere. & ſic in præcipitium Utenbogardianum denuo ruet Vedelius. Quod finem facturus ait: Pios Reges ac Magiſtratus cauſam habere Deo gratias agendi, quod in libertatē à jugo cleri Rom. per doctrinā euangelii ſint vindicati, id facile damus. at per doctrinam Vedelianam, non à cleri Rom. ſed à Chriſti jugo vindicantur. quod monentur, hanc doctrinam eccleſiarum reformatarum tanquam inſignem gemmam, &c. in eccleſia conſervare, perperam fit. neque enim eccleſiæ reformatæ eſt iſta doctrina, nec gemma niſi adulterina, neque conſervari, ſed ab omnibus piis & cordatis evitari meretur. quod ait: Non nimium paſtoribus tribuendum eſſe, bene monet, ſed addi-

mus

mus (quod ille ſemper obliviſcitur) nec profeſſoribus nimium tribuendum eſſe, ſed ſuum cuique, & μηδὲν ἄγαν. quod
„ ex Walæo citat (p. 14. nobis 5.) Quando
„ exercitia miniſterii cum ſuis dependen-
„ tiis, nimirum adminiſtratio ſacramen-
„ torum, exercitium diſciplinæ eccleſiaſti-
„ cæ, cura pauperum, conſervatio (imo ce-
„ lebratio) *conventuum eccleſiaſticorum,*
„ *claſſicalium, & ſynodalium*, & reliqua
„ quæ neceſſaria ſunt ad conſervandum
„ bonum ordinem in cultu divino, cui
„ hauddubio inſervit *vocatio miniſtrorum,*
„ *& judicatura controverſiarum, &c.* in-
„ tegra manent ſine impedimento ſecun-
„ dum verbum Dei, & quidẽ ſub ſuprema
„ inſpectione, cura, auctoritate, & imperio
„ Magiſtratus ſecundum verbum Dei, tam
„ in perſonas quæ adminiſtrant cultũ Dei,
„ quam in adminiſtrationem ipſam; mi-
„ niſtros, & alios qui eccleſiæ præſunt non
„ debere quicquam aliud poſtulare, quan-
„ doquidem nec plus nec minus ipſis à
„ Chriſto eſt mandatum: in his, inquam,
ita ſe gerit, quaſi hæc omnia miniſtris & eccleſiæ integra reliquerit, cum tamen pleraque illis extorta ad Magiſtratum tranſtulerit, ut quilibet ex hoc ſcripto videre poteſt. Deinde, verba illa: *Et quidem ſub ſuprema, &c.* non ſunt Walæi, ſed Utenbogardi. Walæus tantum curam & inſpectionem nominat,

non

non *imperium*, &c. licet Utenbogardi verba probet, *ſi ſane intelligantur*. at Vedelio ea ita placuerunt, ut verbis Walæi ea permiſcuerit. Quod ejuſdem Walæi judicio, omnes orthodoxi Paſtores gratias agere tenentur ei qui aſſerit veram poteſtatem quam Magiſtratus ſecundum verbum Dei in negocio religionis habet, ſane æquum orat, ſed nihil ad Vedelium, qui non veram ſed falſam poteſtatem Magiſtratui hac in parte, ut vidimus, aſſignavit. ideo non ipſi gratias agimus, qui eccleſiam opprimere conatus eſt, ſed Deo, qui eam ab ipſius machinationibus hactenus incolumem præſtitit, & porro (quod ex toto pectore, licet tanta ejus gratia indigni ſimus, precamur) præſtiturus eſt. Quod jactat, ſe Walæum & cæteros auctores fideliter allegaſſe, ejus fidelitatis hac ipſa pagina ſpecimen fuit, ſed multo illuſtriora ejus documenta in ipſa diſputatione lectori exhibuimus. Tandem tractatui ſuo colophonem impoſiturus, ait, ſe Magiſtratus poteſtatem, &c. breviter vindicaſſe adverſus Bellarminum. Falſo. nam nec breviter egit, pro modulo theſium, nec adverſus Bellarminum diſputavit, quem vix ſummis digitis attigit, ſed adverſus doctrinam & miniſtros Eccleſiæ reformatæ remis ac velis invectus eſt. parcat ei Dominus, & non ſtatuat ei hoc

pec-

Digitized by Google

,, peccatum. Promittit porro, ſe proxima Di-
,, ſputatione, miniſterii eccleſiaſtici natu-
,, ram, dignitatem, jura, contra eundem,
,, volente Domino, aſſerturum; quod ſi fecerit, non tam Bellarminnm quam ſe ipſum ſibi adverſarium ſumat oportet.

Atque hæc ſunt quæ nobis in hac Diſſertatione notam mereri viſa ſunt. Alterutrum nunc à Vedelio nos æquum eſt expectare: ut aut falſa eſſe quæ attulimus demonſtret, noſque errore liberet: aut de veritate eorum in animo ſuo convictus, quod virum Chriſtianum & ingenuum decet, manus det, male cœptam litem deſerat, & ad utiliora ac ſaniora ſe convertat. Quod ſi neutrum ab eo impetraverimus, ac maluerit, ubi ſe à ratione deſtitutum videt, per convicia & contumelias animo ſuo morigerari, an Eccleſia hoſtiles hoſce inſultus diutius toleratura ſit, equidem neſcio: hoc ei prædico, certo certius fore, ut quam maledicendo voluptatem cepit, eam male audiendo amittat: neque defuturam fidem dicto divini Sapientis: *Qui fodit foveam in eam decidet, & qui devolvit lapidem in eum revertetur.*

Chryſoſtomus in Eph. 4. Hom. xi.

Ἀρκεῖν τοῦτο ἡγεῖσθε, εἰπέ μοι, τὸ λέγειν,

ὅτι

Digitized by Google

ὅτι ὀρθόδοξοί εἰσι; τὰ τῆς χειροτονίας δὲ οἴχεται καὶ ἀπώλολε; καὶ τί τὸ ὄφελος τῶν ἄλλων ταύτης οὐκ ἠκριβωμένης; ὥσπερ γὰρ ὑπὲρ τῆς πίστεως, οὕτω καὶ ὑπὲρ ταύτης μαχητέον.

APOGRAPHUM

Bullæ ſeu diplomatis quo Profeſſores Academiæ Franequeranæ Eccleſiæ Miniſtros creare ſolent.

Rector Magnificus & Profeſſores almæ Friſiorum Academiæ quæ eſt Franequeræ, haſce lecturis ſalutem, in Domino ac ſalvatore noſtro Ieſu Chriſto ſempiternam.

D. N. N. Friſius, poſt probatam luculentis teſtimoniis anteactæ vitæ integritatem, ut & in linguis, tam græca quam hebræa progreſſum, Ex Avctoritate D. D. Rectoris Magnifici, decreto ac consensv facvltatis Theologicæ totivsqve Senatvs Academici, ad examen theologicum quod candidati miniſterii ſubire ſolent ac debent, admiſſus eſt: in quo ita ſe geſſit, ut non ſolummodo doctrinæ puritatem, ſed etjam ſingularem eruditionem, & in S.S. Theologia profectum nobis non vul-

garem oſtenderit: adeo ut à Facultate noſtra Theologica dignus judicatus ſit, qui ad S. MINISTERIUM admittatur, cui VERBUM DEI PRÆDICANDI, SACRAMENTA ADMINISTRANDI, DISCIPLINAM ECCLESIASTICAM EXERCENDI PROVINCIA CONCREDATUR, quæ & ipſi ab eadem facultate, ex ſibi conceſſa poteſtate ab Ampliſſ. D. D. Ordinibus Friſiæ, & Synodis Eccleſiarum Friſicarum, prout & claſſe miniſtrorum noſtrorum, NON GRAVATIM TRADITA eſt. Rogamus itaque omnes & ſingulos qui haſce literas fortaſſe inſpecturi ſunt, ut prædictum D. N. PRO VERO CHRISTI MINISTRO agnoſcant & habeant, bonos ipſius conatus juvent ac promovere ſtudeant. Talibus enim benefacere eſt bene de Eccleſia Chriſti mereri. Datum SUB SIGILLO ACAD. RECTORIS MAGNIFICI, FACULTATIS THEOL. PROFESSORUM ET SECRETARII MANU. 28. Xbris. 1637.

Arnoldus Verhel, I. V. D. Phil Prof, Rector p. t.

Iohannes Maccovius S. S. Theol. Prof.

Daniel Dammius, logic. Profeſſor.

Heſſ. Coumans Acad. Secretarius.

Appendebat ſigillum Academiæ, rubræ cera impreſſum, in capſula lignea.

Iudicia

Digitized by Google

Iudicia facult. Theol. trium Academiarum in cauſa provocationis à ſententia eccleſiaſtica ad forum politicum: quorum primum e belgico in latinum vertimus, duo reliqua latine, ut ſcripta ſunt, communicamus.

QVÆRITVR:

" An in negocio diſciplinæ eccleſiaſticæ liceat à judicio eccleſiæ, approbato à ſupremo Magiſtratu, provocare ad curiam provincialem, ſeu tribunal politicum, ut à politico Judice talis cauſa examinaretur, & judicaretur.

SIVE,

" An eccleſia teneatur ad citationem & placitum curiæ in ejuſmodi negocio cum adverſario coram politico judice litem conteſtari, & ulterius ad cauſæ ſeu judicii defenſionem forenſi modo per advocatos & cauſidicos procedere?

Iudicium facult. Theol. Leydenſis.

VIſa à nobis S S. Theol. in Academia Lugduno-batava profeſſoribus infra

ſtra ſcriptis, gemina hac quæſtione, exceptione item declinatoria ſive recuſatoria, D. Commiſſario Ioanni à Niis, in Curia Friſiæ Senatori ordinario à Deputatis venerandæ Synodi Doccumanæ ſcripto tradita, per quam dicti Deputati ſententiam ab eadem Synodo Doccumana latam adverſus Poppium Boorſma (qua is à miniſterio eccleſiæ Capplenſis ob vitam diſſolute actam removetur) renuunt adverſus eundem reum, in modum controverſiæ civilis, tanquam pars adverſa diſceptare: una cum rationibus in eadem declinatoria exceptione eodem fine deductis: Omnibus in timore Domini mature expenſis, cenſemus bona conſcientia, ac proinde præſentibus declaramus, Ad Quæſtiones ſupra poſitas, non aliter quam *Negando* poſſe reſponderi. Cujus rei cum multas & ſolidas rationes proferre promptum eſſet, minime id neceſſarium in hoc negocio arbitramur, quandoquidem complures in prænominato ſcripto exceptorio rationes probæ, tam ex S. S. Dei verbo & ipſius rei natura; quam ex Veteri Chriſtiana eccleſia & confeſſionibus eccleſiarum reformatarũ petitæ, jam adductæ fuerunt, ad quas nos in hiſce referimus. Eo autem magis Negationem illam hic valere æquum eſt, quoniam prædicta Synodus Doccumana

cumana celebrata fuit præſentibus cum poteſtate Ampliſſ. Commiſſariis Nobb. & Pott. D. D. Ordinum Friſiæ: & ſententiam ab eadem ſynodo Doccumana adverſus memoratum Boorſma decretam ac pronunciatam, Nobb. Pott. DD. Deputati Ordinum ejuſdem provinciæ ratam habuerunt. Unde ejuſmodi citatio Deputatorum Synodi, & ab ea pendens eccleſiaſticæ ejuſdem Synodi ſententiæ per advocatum & procuratores coram nobili Curia Friſiæ, in modum cauſarum forenſium diſceptatio, manifeſto tenderet ad confuſionem Eccleſiaſtici & politici regiminis, & trahi poſſet ad obfirmandos animos & fovendos conatus quorumlibet, qui vel doctrinæ vel vitæ impuritate, offendicula in Eccleſiæ Dei ſuſcitarent. Quibus omnibus conſideratis, nob. Curiam Friſiæ qua par eſt demiſſione rogatam volumus, ne gravetur dimittere à ſeſe hoc negocium, & ſynodicam de qua agimus ſententiam (utpote cenſuram eccleſiaſticam, è poteſtate clavium cœleſtis regni, à Domino Ieſu Chriſto, tanquam rege ſpirituali, eccleſiæ ſuæ tradita, adverſus prædictum Poppium Boorſma enunciatam, & à ſummo Magiſtratu approbatam) dignationi ſuæ ac vigori relinquere. Inſuper omnes Magiſtratus, & in eminentia à Deo conſtitutos, ut or-

Digitized by Google

dinem à Domino noſtro Ieſu Chriſto ſancitum agnoſcentes, eidem in Eccleſia ipſius, quæ ſpirituale ejus regnum eſt, curſum liberum permittere, imo multo magis, tanquam eccleſiæ nutritij, eam in illius exercitio tueri ac defendere velint. Denique omnes eccleſiæ miniſtros, & qui aliqua auctoritate pollent apud eccleſiam Dei, hiſce monitos ac rogatos volumus (inquantum admonitio noſtra apud eos locum habere poteſt) ut ſpiritualem ſuam vocationem & ſana fidei confeſſione, & Chriſtiana ac exemplari converſatione ita exornent, ne ejuſmodi triſtes cenſuras adverſum eos adhiberi neceſſe ſit. Atque hæc omnia ad laudem ſanctiſſimi divini nominis, & promotionem ac incrementum regni Domini noſtri Ieſu Chriſti. Acta Lugd. Bat. & ad majorem fidem noſtris manibus ſubſignata. 14. Ian. Anni 1641.

Iohannes Polyander à Kerckhoven. S. Theol. Prof. & p. t. Rector Academiæ.

Iacobus Triglandius S. Theol. Profeſſ.

Iudi-

Iudicium facult. Theol. Groninganæ.

VIri Reverendi, Clariſſimi, & Doctiſſimi, ſymmyſtæ ac fratres in Chriſto colendi:

Ea eſt ratio communionis ſanctorum in Chriſto, ut, licet ad quævis pietatis officia atque charitatis alii aliis obligentur, præcipue tamen ad ea obſtricti ſint, quibus Eccleſiæ, cujus propria eſt illa communio, aut commoda juvari, aut damna averruncari queunt. Hujuſmodi certe eſt, quod publicis litteris à nobis flagitare viſum eſt reſponſum, ſuper controverſia de authoritate ac poteſtate Eccleſiaſtica, in exercenda diſciplina ſpirituali adverſus contumaces, in Eccleſiis veſtris ante aliquot menſes *conſilio & exemplo non probo*, mota & hucuſque agitata. Æque enim noſtra quam veſtra, nec minus totius Eccleſiæ Belgicæ intereſt, non ſpoliari eam jure illo quod à Chriſto donatū accepit, nec ſolvi aut laxari quibus compages ejus continetur: nec denique negligentiâ vel conniventiâ eorū quibus hæc cura commiſſa eſt, animari audaciam τ͂ ἀτάκτων, in violandis Chriſti legibus, & Eccleſiæ ordinationibus. Quamobrem omnibus in timore Domini recte expenſis, quid ſententiæ ſit noſtræ, ſalvo meliore

judicio, ad vos, fratres in Chriſto obſervandi, perſcribemus. Quæſtio hæc eſt: *An in negocio diſciplinæ Eccleſiaſticæ, liceat à judicio Eccleſiæ approbato etiam à ſummo Magiſtratu, provocare ad Curiam provincialem; ut ita à judice politico cauſa recognoſcatur & decidatur: & Eccleſia forum illud ſequi, & in eo judicialiter ceu pars more forenſi teneatur?* Hiſce lineis tota circumſcribitur quæſtio: in qua nihil anceps aut obſcurum occurrit. Cauſa Eccleſiaſtica eſt, non forenſis, aut juris mixti: utpote de diſciplina ſpirituali in contumaces peccatores à Chriſto ſancita. Perſonæ itidem Eccleſiaſticæ, quæ ex conſcientia officii, ſecundum verbum Dei, cauſæ cognitionem ac judicium peregerunt. Iudicium quoque ipſum omni modo legitimum, definitis in Eccleſia gradibus, per preſbyteros, claſſes, Synodos inſtitutum: cui ſupremus Magiſtratus, ceu præſes politicus, ſuum calculum adiecit: & de cujus juſtitia & æquitate etiam poſt promulgatam ſententiam luculenta explicatio ſcripta & exhibita fuit. *A tali ſententia, tam religioſe ac tanta cum cautione lata provocandi jus eſſe in reformatis Belgii Eccleſiis, aut eſſe poſſe, nos quidem pro candore Theologico ſimpliciter inficiamur.* Nec vero mirabuntur magnopere, qui Eccleſiæ Belgicæ conditio-

ditionem & praxin perpetuam, inde à prima ejus orgine, animo reputabunt. Etenim, ſicut ex earum eſt numero, quæ ſanguine martyrum fundatæ ſunt & ſuccreverunt, ita mox ab initio cum puritate doctrinæ, ſanctitatem diſciplinæ, ad majorem ſui tam ſoliditatem quam diuturnitatem, conjungendam eſſe cenſuit. Populus fidelis, per quem cœpta eſt reformatio, prævio piorum paſtorum conſilio, non minus diſciplinam, cui omnia Eccleſiæ membra ſubjecta eſſent, citra exceptionem aut provocationem, quam ipſam doctrinam reformatam invexit & inſtituit in Eccleſia. Synodi Nationales diverſis temporibus habitæ eam ſtabiliverunt, & melioris ordinis gratia certis canonibus complexæ ſunt. Inſuper Magiſtratus ad communem cum eccleſia fidem converſus, diſciplinã ejus publica auctoritate confirmavit. ut lex diſciplinæ, prout in Belgio conſtanter obtinet & exercetur, abſq; dubio ſit lex fundamentalis Eccleſiæ Belgicæ; quam nec violare impiis actibus, nec infirmare doloſis exceptionibus impune licet. *Proinde, ſicut illi qui fundamenta reip. convellunt aut labefactant, perturbatores ſtatus publici habentur, nec aliter plecti ſolẽt: ita qui in Eccleſia contumaci provocatione & eluſione idem moliuntur extrema ejus cenſura digni ſunt.*

Digitized by Google

Sed hic de jure Eccleſiæ Belgicæ circa diſciplinam quæritur, num id liquidem ſatis, ac ſacris ſcripturis conſentaneum ſit? præclara vox iſta Artaxerxis Perſæ apud Eſdram c. 7. v. 13. Quicquid eſt ex ſententia Dei cœli, perficitor diligenter in domo Dei cœli. Quam non minus in ſancienda diſciplina, quam aſſerenda doctrina ſpectaſſe & ſecutos eſſe primos Eccleſiæ Belgicæ reformatores fide hiſtoriæ ſacræ vereis & novi teſtamenti certiſſimum, evidentiſſimum eſt.

Ut prætereamus ſilentio que in Eccleſia patriarchali ante & poſt diluvium acciderunt, quando implicatior erat Eccleſiaſticæ gubernationis ratio: etſi exempla diſciplinæ Eccleſiaſticæ ne tum quidem defuerint. Gen. 4. 9. 21. & alibi: Moſes divinis auſpiciis ordinans politiam Iſraëliticam, duplex inſtituit judicium, Eccleſiaſticum & politicum, perſonis, cauſis, & actionibus diſtinctum, ſummum utrumque in ſuo genere. Deut. 17. verſ. 8. & ſeqq. Lev. 10. v. 9. 10. 11. Num. 11. v. 16. & deinceps; præciſa utrobique appellationis libidine ac licentia, & pœna etiam capitali in contumaces propoſita. Deut. 17. v. 12. 13. Id ſub Iudicibus continuatum fuiſſe, ac in Siloh ſtabili ſede defixum, dicta & exempla facile perſuadent. Ioſuæ 18. verſ. 1. c. 22. v. 12. 15. Iudic. 21. v. 12. & ſeqq.

ſeqq. 1. Sam. 1.2.3. 4. capp. Ierem 7. v. 12. Conſtituto regno ac ſub Davide firmato, eadem utriuſque judicii fuit conditio, tribunalibus Hieroſolymam, ceu regni metropolim, tranſlatis. 2. Sam. 6. Cap. 9. v. 2. 3. 4. 2. Chron. 6. v. 6. Pſalm. 122. v. 4. 5. Et cum temporum injuriis paulatim corrumperentur, ut fieri ſolet, ambo à Ioſaphato reſtaurata, & ad formam primævam revocata ſunt. 2. Chron. 15. v. 15. & ſeqq. A captivitate quoque Babylonica perduravit eadem forma judiciorum, Zorobabele, Eſdra, Nehemiaque auctoribus: prout ex duorum poſteriorum monumentis conſtat. Donec evileſcente ducum, & augeſcente pontificum auctoritate, quod poſt Iaddi tempora factum ex Joſepho obſervare eſt, judicia confunderentur, & Hierarchia eccleſiaſtica emergeret, ſacra & profana eodem imperio adminiſtrans. Ita in veteri Teſt. obtinuit. In novo ſubiens magnus ille Propheta Chriſtus Jeſus hæc juſto diſcrimine ſeparavit à ſe invicem, mandans Cæſari dari quæ ſunt Cæſaris, & Deo quæ Dei ſunt. Matth. 22. v. 21. Et illa quidem prætermiſit, tanquam ab officio ſuo aliena, iſta ſigillatim explicavit & definivit: etiam quæ ad gubernationem & cenſuram eccleſiaſticam attinent, Matth. 16. v. 18. 19. Cap. 18. v. 18. Cap. 28.

v. 20. Joh. 20. verſ. 23. ubi jus ſine provocatione attribuit eccleſiæ ſuæ, teſtatus, judicium ejus in cœlis ratum fore & irrevocabile. Apoſtoli idem & ſcriptis docuerunt, & preſbyteris preſbyteriiſque exercendum præceperunt, nullo uſpiam ſive indulto ſive exemplo appellationis: Nam quod ex Act. 25. v. 11. adducitur, heterogeneum eſſe omnes narrationis circumſtantiæ arguunt clariſſime. Ita tranſiit in legem ac morem primitivæ eccleſiæ; non modo quæ ad Conſtantinum uſque Magnum ab Imperatoribus gentilibus perpetuis perſecutionibus preſſa fuit: verum illius quoque, quæ inde ad Phocam uſque Cæſaribus Chriſtianis Eccleſiæ nutritiis efflоruit. Cujus certam fidem faciunt ſcriptores eccleſiaſtici, æque Patres quam hiſtorici. At ex eo, auſpice Bonifacio 3. qui primus Oecumenici titulum ambitione confecit, ſuccedentes pontifices initio tyrannidem invaſerunt in eccleſia, ac diſciplinam ejus in carnificinam verterunt; exinde, maxime à Gregorio 7. etiam ſecularia rapuerunt, utriuſque poteſtatis ſymbolis ſeſe efferentes. Ea rerum facies erat quando reformationem domus Dei magno Zelo aggreſſi ſunt majores noſtri: quippe mandato & exemplo divino in utroque teſtamento ſacra à prophanis, eccleſiaſtica à politicis

cis religioſe ſecreverunt, poſtliminio reddiderunt Cæſari quæ Cæſaris erant, & Deo vindicarunt quæ Deo ſunt propria, fidem ſinceram, cultum illibatum, diſciplinam utrique congruentem, nempe ſpiritualem, à corporali temporalique prorſus diverſam. quæ hodieque in Eccleſiis Belgicis ipſius beneficio ſarta tecta manent. Unde quantus bonorum ſpiritualium cumulus in eaſdem Eccleſias redundarit, verbis exprimi vix poteſt. Imprimis duo conſecuta ſunt, quæ in ſtatu populari, ac tanto variarum gentium confluxu, miracula jure cenſentur: Unum eſt, quod tot monſtra hæreſium fruſtra hactenus tentarunt & oppugarunt integritatem ac ſoliditatem fidei in Chriſto, alterum eſt, quod etiam unitatem & conjunctionem ſchiſmate perrumpere & dilacerare nequiverunt.

Hæc cum ita ſint, *merito*, Reverendi in Chriſto fratres, *hoc jus Eccleſiæ retinetis, exercetis, tuemini. Merito appellationum diverticula, contumaciæ effugia, præciditis: & tribunalia heterogenea, alieni plane fori, declinatis.* Non ægre ferent qui ſe Chriſti diſcipulos & Eccleſiæ ipſius filios profitentur. Aurea vox eſt Conſtantini Magni Impereratoris ad epiſcopos ſecum cœnantes, quam in vita ipſius refert Euſebius: Vos, inquit, intra Eccleſiam, ego extra ectleſiam epiſco-

epiſcopus ſum conſtitutus. Agant utrique, Paſtores & Magiſtratus quod ſuum eſt, ex Dei Chriſtique præcepto, & res omnes Eccleſiæ feliciter conficientur, & recte procedent.

Habetis, viri Reverendi, & doctiſſimi, fratres in Chriſto colendi, ſententiam noſtram, non argumentis operoſe ſubtiliterque demonſtratam, ſed ex ſuis fundamentis, *teſtandi conſenſus gratia*, ſimpliciter expoſitam. Siquid inſuper à noſtra mediocritate ſive officii ſive ſtudii proficiſci poteſt, id omne vobis, & veſtræ Eccleſiæ ſincero animi affectu deferimus, conſecramus: Deum precati per Ieſum Chriſtum, ut ſanctis laboribus veſtris cœlitus magis magiſque benedicat. Groningæ XX. decembris. MDCXL.

R. DD. VV.

Studioſiſſimi in Chriſto fratres & conſervi: S. Theol. profeſſores, & eorum nomine

HENRICUS ALTING.
manu propria.

Iudicium facult. Theol. Vltrajectinæ.

Quæritur: (ut ſupra)

NOs infra ſcripti S. S. Theol. profeſſores in Academia Ultrajectina, ad utrum-

utrumque quæſtionis membrum, à RR. fratribus Eccleſiæ Leovardienſis paſtoribus propoſitum, auditâ & lecta hypotheſeos explicatione, & ex ea præſupponentes agi de cenſura & cauſa mere Eccleſiaſtica, *reſpondemus ſimpliciter negando*. Rationes hujus negationis noſtræ, quas confidimus nos habere graviſſimas, & omni exceptione majores, hic adderemus, niſi id jam ab aliis toties & tam abunde præſtitum eſſet, ut merito videremur actum agere. Interim, ut compendio utamur, profitemur: *Rationes à RR. fratribus Synodi Doccumo-Friſicæ pro exceptione adverſus Poppium Boorſma nobiliſſimæ & ampliſſimæ Curiæ Provinciali Friſicæ nuper exhibitas, nobiſque lectas & expenſas, per omnia probari*; *quippe orthodoxe, erudite, prudenter conceptas*, & quam maxime convenientes communi ac receptæ doctrinæ, politiæ, & praxi Eccleſiarum Belgii; quin etiam conſpirantes cum conſtanti apologia ejuſdem doctrinæ & praxeos, tanto zelo & ὁμονοίᾳ contra novitates & ἀταξίας Remonſtrantium hactenus præſtita. Inſuper rogamus & obteſtamur omnes orthodoxiæ & concordiæ Chriſtianæ ſtudioſos, *ut venenum Remonſtranticæ ἀταξίας in adverſa ſententia latens prudenter caveant, & toto pectore cum RR, & modo laudatis fratri-*

fratribus averſentur. Actum Ultrajecti. XII. Kal. Ian. CIↃIↃCXLI.

Giſbertus Voetius Theol. Prof.
Meinardus Schotanus Theol. Prof.
Carolus Dematius, Theol. Prof.

FINIS.

W

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA N. ROM.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google